


Mizaldo
1555











N.o 990

a bibliotheca
L. Lafume
D. med
Verv.

f.o. E







EPHEMERIDES AERIS PERPETVAE: SEV

popularis & rustica tempestatum Astrologia, vbique terrarum & vera, & certa.

AVTORE ANTONIO MIZALDO MONLVCIANO.



ANTVERPIAE.
Apud Gerardum Spelmannum,
ANNO. M. D. LV.



Ornatiſsimo viro Philiberto Baboo, Engoliſmenſium Antiſtiti, Anton. Mizaldus Monlucianus. S.P.D.



ERCVRIVS ille Triſmegiſtus quem Lactantius Firmianus inter Sibyllas & Prophetas cõnumerare nihil dubitat, veré ac prudẽter in Pymãdro ſcripſiſſe mihi videtur, Præſul eximie, liberorum procreationẽ apud ſapientes præſtans ſtudiũ in vita eſſe. In extrema verò omnium calamitate & impietate eos verſari, qui abſque liberis è vita decedunt. In quam ſententiam cùm ego nuper incidiſſem (dum fortaſſe à Medicis & Mathematicis vna atque altera nocte deficio)de partu animi, eiúſqne liberis, aut, ſi mauis, libris interpretandam cum multis cenſui. Cuius ſterilitatem ſummopere fugiendam, imò verò cane peius & an-

gue vitandam, cùm iã olim mihi persuasissem: ex eo tempore consiliũ inire cœpi de prole aliqua quotannis pro mea facultate edenda, atque in lucem emittenda. Quæ & me vixisse testaretur, ac posteritati, publicæq; omnium vtilitati, quoad eius fieri posset, prodesse satageret. Nec in fœliciter toto ferè præterito decennio res ea cesſit, Dei opt. Max. gratia & beneficio. Cuius bonitas immensa reliquos nostros conatus meliùs atq; meliùs prouehere in posterũ dignetur: faxítque, vt qualescunque partus nostri, eruditis & bonis grati esse: erudiendis verò fructum aliquem adferre queant.

Hoc votũ nostri summa laboris habet.

Cùm itaque iampridẽ animus meus, vel potiùs prægnans & grauida musa mea, hanc Ephemeridum fœturam parturijsset, tandemq; peperisset, essetq; initiationis eius arbiter aliquis ac natalitius susceptor (vulgus Compatrẽ vocat) recepto more mihi disquirẽdus: ecce, milibus è raris, quid inquã? imò verò ex perpaucis quos sympathia

quadam probis & doctis anguſtè diſperſit Apollo, vnus opportunè occurriſti, Antiſtes humaniſſ. dignus qui id muneris, pro tuo candore, obeas: idipſumq́; nobis anxiè poſtulãtibus, vltrò annuas: cùm ob alia, tum quòd tãta charitate, támque ardenti amore in omneis eruditorum liberos, volebã dicere libros, rapiaris, vt nullius magis. Nã illos quales quales fuerint, iucũdè excipis, placidè vides, ſæpe alloqueris, ac liberaliter foues. Quod ſanè cãdori tuo & ingenio, potiùs quàm illorum Genio acceptum ferre licet. Plura ſcriberẽ, niſi tua virtus ſumma modeſtia illuſtrata, mihi ſilẽtium indiceret: quæ ſicuti tacita laudum meditatione, non publica illarum prædicatione frui ſolet, ita celebranda libentiùs facit, quàm audire poſsit: raro ſanè miraculo & exemplo. Bene vale, Antiſtes eruditiſſ. & Mizaldum tuum amare incipe, vel potiùs perge. Lutetiæ, Idibus Iulij.

1554.

Antonij Mizaldi

Monluciani in suas aëris Ephemerides prolegomena, ad rerum naturæ candidatos. Vbi de aëria brutorum præsagitione, & certa facilique methodo prędicendarum omniũ auræ commotionũ ex ijs duntaxat quæ apparent.



VISQVIS ille fuit, qui Naturam rerum omniũ parentem, nouercam hominũ iniustam, contra Hippocratẽ nũcupauit, τοτο toto cœlo, totáque via insigniter errasse mihi semper est visus: cùm ab alia multa, tũ quòd eorum omniũ quæ genuit, gignítque quotidie, curam summam habere abseruatur: & maximè hominũ, non dico literis & educatione bene institutorum, sed & rusticorum, populariùmque. Quibus præter disciplinas, cœli & astrorum peritia prorsum negata

gata fuit: qua duce fortuitarum tempestatum, & aëriarum commotionũ certissima prognostica certò elici posse certum est: quæ vt ad vitam, ita ad agriculturam optimè excolendam aliáque permulta maximi esse momenti, nemo sanę mentis negat. Cùm itaque illos vel ob assiduas occupationes, vel rei familiaris angustiam, aut quouis alio modo, rerum cœli ignaros præuideret, non vt quæuis præsagirent, sed futuras duntaxat aëris commotiones prænoscerẽt, (quas pręuidisse illorum maximè interest) signa admodum familiaria, vbique terrarum illis passim disseminauit, Quorũ intuitu & præuisione: quid quoque lunari mense, imò verò lunari septiduo, & die quaque ac nocte futurum esse in aëre, optimè prospicerent: & hinc res suas opportunè componerent, Quæ cùm ita se habeãt, cur vos indoctos causabimini, ô populares & rustici? cur cœlum posthac intuebimini? cur sidera quęretis? aut cur vos breuiore somno fessos prement noctes? Ecce, vobis in aqua pe-

culiaria tempeſtatum ſigna (quemadmodum poſtea oſtendã) exhibet Natura eáque manè ad opus exeuntibus, veſpere ab eodem recedentibus, adhęc meridie, & per crepuſcula vtraque, partéſque noctis omnes, & diei horas ſingulas, facilè ob oculos ponit. Cur itaque deinceps altiùs ſpectabitis, ipſumq́ꝫ cœlum tam anxiè cùm philoſophis ſcrutabimini? Habetis ante pedes in agro, in ſylua, in ædibus, in foro, in lampade, in plantis, in auibus & animalibus cùm domeſticis tum agreſtibus, imò verò in vobis ipſis familiariſsima ac certiſsima fortuitatem omnium tempeſtatum aëris ſigna. Quorũ catalogum priùs quam hic patefaciam & explicem, pretium operæ facturum me arbitror, ſi quædam ad AEromãticam (vt ita loquar) Aſtrologiam, ſeu ad Ephemerides aëris attinentia, paucis & dilucidè prælud ij loco attulero ac protulero. Quod vt commodè fiat, hunc in modum & præfari, & tibi (Lector) fundamenta ponere iuuat. Hippocrates bonorum omniũ generi

humano, ſecundum Deum, author & parens, cuius vocem pro oraculo vbique cum Galeno recipimus & admittimus, non temere, nec ab re ſcripſiſſe mihi videtur, Aërem diuinum neſcio quid eſſe: & vires cùm in temporum, tum etiam corporum ac ingeniorum mutatione non exiguas habere. Nam vt antiquæ origenis ſpiritus quidam planè ἀθέσφατος (vt Græcè dicam) medium vniuerſitatis mundi locum, vaſtiſsimè occupare, & omnia quæ tegit cœlum colluſtrare, rerúmque mundi omniũ genus omne, ſiue in terra, ſiue in aqua, ſurſum ac deorſum (cœlo duce) ob eſſentię tenuitatem inſigniter agitare, afficere, permiare, mutare, impubere, mouere, perdere, ac ſuſtinere, ab omnibus palam deprehenditur, & à quibuſuis (vel me tacẽte) obſeruatur. Quę res, priſcos Hebręorum philoſophos excitare potuit, vt inter mundi elementa illum minùs collocarẽt: quin potiùs, vt glutinum quoddam ſuperiora cum inferioribus colligãs ac retinens, vbique haberent. A quorum

vestigiis non longè aberrantes peritissimi rerum naturæ Pythagorici, organum supra terram & infra perpetuò reboans, & summa imis (ceu προσαγωγεῦς quidam) concilians, itidem dicere nihil sunt veriti. Quod & Ægyptij etiam norunt, Deorum nuntium illum appositissimè nuncupantes. Nam cœlestium corporũ excepta semel spiracula, veluti legatus quispiam, deorsum via sensum fallente, longè latèque impertit: signáque omnium eorũ quæ in telluris & aquæ globulum οὐράνοθεν sunt demittẽda, preconẽ haudquaquã mendacem agens, fideliter ob omniũ oculos deponit. Addam quòd in illo, ceu in ἀγράφῳ & elementari naturæ libro, æthereos igneis suis radijs quasi πανχρώω quodam penicillo, fortuitarum tempestatum omnium aëris imagines viuis coloribus expressas depingere, &, vt cum Manilio loquar, rerúmque hominúmque ruinas, ceu de alta specula legẽdas, videndásq; palàm exponere, libris & historiis non tam est testatum, quàm multorum se-

culo-

culorum obſeruationibus probatum. Hinc, vt habet poëta, nunquam ſunt cœlo ſpectati impunè cometæ. Hinc ignita, vel quõcunque aliter ſub variis figuris in aëre viſa temere haudquaquam fuerunt, priſcorũ annalibus adnotata mille prodigia rerum publicarum miſerandum ſtatum, magnorúmque virorum triſtiſsimum exitum (vt ſæuiſsima bella, & alia multa taceam) ſuffragãte cœli vultu, minimè obſcurè teſtata. Quemadmodum nos haud ita pridem in noſtra Cometographia fuſiſsimè perſequuti ſumus. Exhibet itaque aër, ſuſtinétque certiſsima, quoad eius fieri poteſt, cœli decretorũ ſigna, futurorum verè prognoſtica, & veluti claſsicum inferiori mundo canentia. Quorum particeps nonnihil eſt aqua, & quæ in ea vndecunque iacet terra, quæque inibi degunt animalia pleraque: ſed ita, vt cœlo & aëri, perinde atque patientia agentibus, ancillentur: & ob id incertam plerumque certitudinem, ſi ſuperioribus componas, præ ſe ferant. Quibus homo ſanctum

verè animal, mentíſque capacius altæ, longè inferior (ſi ipſas tempeſtatũ præſagitiones ſpectas) ſemper eſt habitús. Quod an verũ ſit, cur fiat, quid homo in his poſsit, & qua via ad præſagiendum ferantur bruta, nunc demum perſpicuè, & pro mea tenuitate familiariter explicare ſatago. Conuenit inter eximios ſacræ, prophanæq́; philoſophiæ profeſſores, hominẽ Dei opt. Max. opificium ſupra omne miraculum admirabile, duobus ex diametro pugnantibus cõformatum eſſe, corpore terreno, proindéque corruptibili: & animo cœleſti, æthereo, & verè immortali. Adhæc, illo (quod cum brutis habet commune) ad ſeruitium: hoc (quem diuinarum intelligentiarũ conſortem retinet) ad imperium vti. Iam cùm animus ipſe diuinæ auræ particula habeatur, vt ex Academia in ſuam poëſim tranſtulit Maro, cùm orationis & conſilij, futurorúmque perſpicientiæ, necnon ſublimium rerũ & diuinarũ particeps eſſe cenſeatur: cùm cœleſtem igniculum, & ſupernæ originis

ginis

ginis radiolum, tanquam comitem & futurorum interpretem de super illapsum gerat & excipiat: atque perpetuò (nisi fortasse quantùm noxia corpora tardant) contubernalem agnoscat: crediderim haud dubiè bene natos homines, qui corporeis sordibus, terrenísque amoribus, diuinũ hoc sacrarium minimùm polluerũt, nec cœlestis ignis domesticam scintillam fœdissimis voluptatum stercoribus obruerunt: præterea quæ sursum sunt: non quæ supra terram affectarunt: duce animo, comite cœlo, & operante vtrobique Deo, futuras nõ dicam aeris constitutiones, sed multarum rerum aliarum, etiam à tergo longè venientium, mutationes, cùm priuatas, tum publicas (quod Vates, Sybillæ, & plerique fecerunt) prænoscere, augurari, ac præsagire perfacilè posse. Idque certius multò quàm bruta: quæ diuinitatis hacce particula destituta, duntaxat quod præsens est, vel mox adfuturum instat, naturali sagacitate sequi, & sentire planũ est. Nec aliunde quàm ab aere, qui quòd in

hanc, vel illam qualitatem ſeſe (vrgente cœlo) componat, idcirco illorum ſenſus, motuū corporis aurigas (quibus maximè aguntur) titillare, & ad ſigna foris edenda (vt poſtea dicemus) promouere, plerunque ſolet, A quibus homo, cui (vt ſcripſit poëta) ineſt fato rerum prudentia maior, quíque vitam (quemadmodum illa) in ſilentio minimè tranſigit, aliò auocante cogitatione, conſilio, ratione, & ſtudiolum curarúmque numeroſiſsimo grege, citiſsimè diſtrahitur. Quæ, quid ſenſus ligant, & quod exterius offertur, ſiue ab aëre, ſiue aliundè irrumpat, extempore auertunt, præripiunt, vel in totū abolent: mirari nequaquum licet, ſi homo vnus ex aëre quem reuera cum reliquis animalibus communem habet, properè non præſagit, illiúſque motus è veſtigio nō admittit, nec editis ſignis vt bruta faciunt, illos foras eliminat. Hęc ſanè quemadmodum interiorem, potiorémque hominis facultatem inſigniter exercēt, ita exteriùs occurrētia ab apprehenſionis & cogitationis prō

ptuario,

ptuario, celerrimè excludunt. Queis (ſi videbitur) ex Theophraſto & Themiſtio, cœleſtem intelligentiam, cauſam non errantem addes: qua agitãte, homines futura loqui poſſe, etiam ſi eorum quæ dicunt nihil intelligant, tã facilè (opinor) fateberis, quàm brutorum genus omne ab ea re alieniſsimum eſſe, His vtcunque poſitis, partẽ quæ promiſsi noſtri eſt altera, rudiùs (proindéque planiùs) paucis aggredior. Indubitatum habet ſyncera omnium linguarum Philoſophia, & omni ex parte cõfeſſum, bruta Grecis ἄλογα, nobis muta, & irrationalia nũcupata, mortali anima & ſenſitiua dũtaxat prædita eſſe: quæ vna cum illorum corpore vt naſcitur, ita illo pereunte perit: atque ob id actiones alias non agnoſcit quàm quæ ſunt carnis, & naturæ per propria organa, nulla præmonſtrãte viam ratione, corruptibilis. Non ſum neſcius multos fuiſſe, qui mirabilem induſtriam, non dicam in magnis animalibus, verumetiam in minutulis, vt Aranea, Ape, Formica,

&

& aliȷs contemplantes, rationis particulam prę admiratione illis tribuerint. Sed humanæ prudentiæ hoc (vt verè dicam) idωlum, eáque ingeniȷ ac rationis (vt loquitur Philoſophus) ſimilitudo, veram rationem, & intellectum illis ineſſe non probat, non cogit, non vincit : etiam ſi artificioſa particularia quædam & moliri & facere illa donemus. Nam vno ſemper modo propria cuiuſque animalis ſpecies vbique operatur. Sic quęlibet Hirundo nidum eodẽ modo ſemper facit, & Aranea quęlibet tendiculas arte ſimili contexit. Ad hæc Formica quæuis, æſtate frumentum nulla futuri prouidentia (vt multis eſt viſum) ſed præſentis cibi auiditate, ſimiliter colligit. Et ouis quælibet à lupo metum eodem modo concipit. Præterea Perdix omnis aucupem (ſeſe paulatim ſubducendo) ſimili via ludificatur. Quæ ſi ſunt, vnde ergo (inquies) brutorũ multorũ priuatæ geſticulationes, quales in circulatorũ, hiſtrionúm ve, & ludionum equis, canibúſq;, & aliȷs, plurimas animaduertimus?

Has, vt seriò loquar, nō de orationis, aut verborū sensu vllo, quin potius de pronunciantis gestu, aut motu extorqueri, experientia cōstanter tibi fidem faciet: veluti si Cani mineris, vel Equo quēadmodum Mezentius apud Virgilium, blandiaris. Nec valebit quòd quædā humanis operibus simile nescio qui l moliuntur: vt Apes dum sua aluearia extruunt, & Hirundines dum iuxta plasticen nidosare hi tectantur. Adhæc Araneæ dum ad geometricū artificium suas telas componunt. Insuper, quòd affectibus quasi humanis nonnihil ducātur: vt Canes extinctos dominos suos eiulantes, & illis plerunque commorientes. Porrò, quòd astutè (vt homines) simulare, dissimulareque norunt: vt Vulpes, & Equi. Insuper, quòd voces humanas aues plereq; modulantur, ac referunt: cuiusmodi sunt Psittacus. Coruus, & Pica, quam si non videas, esse negabis auē. Rursum, quòd humanarum virtutum ac vitiorum simulachra quædam exhibeāt: vt prudentiæ, Apes, Araneæ,

For-

Formicæ,& aliæ: fidei, Canes: ſuperbiæ, Equi:pietatis, Ciconiæ:doli, Vulpes ingratitudines, Hirundinis : & ita deinceps. Nã hæc (qualiacunque fuerint) nulla electione, neque arbitrio, neque intellectu, aut ratione ab illis fieri conſtat:ſed naturæ neſcio quo inſtinctu & impetu. Ex quo factum videas, vt quamdiu viuant, quod ante pedes ſitum habent, futuri admodum ſecura, ſolùm proſpiciant, corporíque omnium maximè inſeruiant. Cuius motus, quia ad aeris affectiones (vt antè monuimus) in primis componunt, neminem captare debet admiratio, ſi illas & ſentiunt, & geſtu, voce, aut alio quouis modo foras, antequã cogitent (ſi tamen cogitare mihi concedis) ilico deponunt. Ampliùs, quia cognitum eſt cauſam primam per ſecundas in hæc inferioria agere, & ſingula ſingulis, propriíſque dotibus, ac facultatibus, immenſam opificis bonitatem & ſapientiam ſpirantibus donare: abſurdum fortaſſe non erit, brutorum nonnullorum actiones quæ futuro-

turorum ſigna conſtituuntur, ad cœlorum ſempiternas agitationes per aerem (in quo & aluntur bruta & reſpirant) transferre: atque illinc propenſiones quaſdam & inſtinctus, ad pecuculiaria quidpiam agendum, deſignandúmve, vnicuique ſuos illis aſcribere. Quibus aurigantibus, & corporis theatri præfectura potitis, mira ſagacitate tempora præuidere, ac pluuias, & ventos, necnon ſerenitates, ver, hyemem, peſtes, cadauera, & alia, motu, aduentu, olfactu, voce, geſtu, & ſimilibus, cœlo duce, præſagire poſſe, non tam eris, opinor, ἀφιλόσοφυς quin ingenuè, ac libenter mecum per omnia fatearis. Sed Claudiū Ptolomæum his de rebus paucis ſua lingua accuratè philoſophantem ac nobis ſubſcribentem audire ſuperuacaneum non erit πολλὰ μὲν ἐκμαζονος δυνάμεως, (inquid) καὶ ἁπλοῦ στερεᾶς τάξεως, καὶ παρὰ τοῖς ἀνυιδιώταις προγινωσκόμενα θεωροῦμεν μᾶλλον δὲ καὶ παρ᾽ ἐνίοις τῶν ἀλόγων ζώων, ὥστε τῶν ὡρῶν καὶ τῶν πνευμάτων τὰς ἐτησίους διαφοράς, τούτων γὰρ ἐπίπαν ὁ ἥλιος αἴτιος, καὶ ὥρα

κος

καὶ ὁ οὐρανός. quod eſt, Verùm multa excellentiore quadam vi, & ſimpliciore ordine præcognoſcere videmus, non modò penitus indoctos homines, ſed bruta animalia quædam: ſicuti ſunt temporum, & flatuum annua diſcrimina: quorum cauſa in Sole, & Cœlo deliteſcit. Nec temere mea quidem ſententia. N am (vt ille idem alibi teſtatur) εἴδη καὶ τὰ τῇδε πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν, formæ inferiores, à cœleſtibus formis afficiuntur, illiſque (veluti particularia vniuerſalibus, & patientia agentibus) ſeruiunt: reptantíque deorſum per aërẽ ſyderato defluuio facillimè parent. Hinc fortaſſe Gallinaceus Gallus phœbi ales, de omnibus, ſurgẽtem Solem, & item meridianum occiduúmque, necnon per ſubterranei hemiſphærij cardinem peragrantem, etiã intra denſiſsimos parietes præſentiſcit & expeditiſsimè ſalutat, partiúmque noctis diſtinctionem, omni horologio certiùs innuit: quã intelligentiã, vt habet patientia archetypus Iob, ecquis Gallo dedit? Sed Plinium ea de re ſcribentem

bentem audire pulchrũ erit. Galli (inquit) vigiles nocturni, quos excitandis ad opera mortalibus, rumpendóque ſomno natura genuit, norunt ſidera: & ternas diſtinguũt horas cãtu: dum Sol oritur, mediũ cœlum vtrinque tenent, & occidit: cum Sole eunt cubitum, nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere: diémque venientem cantu nunciant & laterum applauſu: ſolum hoc volucrum genus, cœlum crebro aſpicit. Hactenus ille. Sic Miluius (vt eſt apud Hieremiam) in cœlo tempus ſuũ agnoſcit. Formicæ minimum animal, ſed tamen prouidum, interlunio (vt ſcribit Plinius) quieſcunt, plenilunio, vel totas noctes operãtur. Auem Parram oriente Syrio non apparere donec ille occidat, & Vireonem initiante duntaxat æſtiuo ſolſtitio prodire, idem author eſt. Sic Hirundines, Grues, & volucrum aliæ pleræque, anni diſcrimina, fines, & initia nobis ob oculos certò ponunt. Domeſticæ Luſciniæ (præſertim mares) ineuntẽ brumam, aut (ſi mauis) hybernum ſolſtitiũ, cãtu

ad-

admodum vocali tacentibus reliquis ſuauiter produnt: quod nos in vna atque altera, ſumma cum admiratione apud amicos rerum naturæ, & occultæ Philoſophiæ ſcrutatores ſedulos, non ſemel ſumus experti. Sic Canes inferiores, cœleſtium canum coſmicũ exortum, & vires cum Sole, præter reliqua animalia (Leones excipio) ſentiunt, expauent, & propter rabiem admodum deteſtantur. Armenta cum gregibus, maleficorum ſyderum congreſſum & luminarium Eclipſes in Ariete, Tauro, ac Capricorno (ſeruauatis cautionibus aliis) non ſine graui iactura & lue publica agnoſcunt. Quæ res poetas homines (vt Grecè, verèq; dicã) φιλοσοφωτάτοις, καὶ ἀστρολογωτάτοις fortaſſe permouiſſe potuit, vt cœlũ atque adeo ſphæram octauã pennatis animalibus reptantibus, quadrupedibus & aliis opplerent, certíſque Diis (quibus Planetarũ orbes ſcatent) ſacrarent, & interpretes adderent. Sed vereor ne hęc capi ab infimis ritè poſſint. Illis itaque vtcunque delibatis, ad

humi-

humiliora me confero, & physicum (quoad eius fieri poteſt) deinceps ago.

Brutis ſolam phantaſiam (cui, vt princeps Academiæ ſcripſit Plato, ſatellites deſtinati ſunt ſenſus) pro ratione haberi, receptum eſt: qua impellente: nec alium quàm qui eſt ab aëre & tempeſtate (conſilij inopia) diſcurſum admittente, per tepidam cœli auram, ſerenam, tranquillam, & vernam, exhilarari, garrire, Venerem exercere, nidulari, & plauſibilia omnia aggredi: per obſcuram verò, caliginoſam, frigidam, humidam, & hyemalem, turbari, gemere, latitare, & quiduis triſte obire nemo non videt: eáque omnia (vt diximus) antè efficere quàm cogitent: quòd cum aëre ſtatim adſint & abſint motrices rerum iſtarum cauſæ: quas quia occupationum & ſtudiorum turba non premuntur: ſicuti actutum excipiunt, ita aduertentibus palàm in ſigna ad vſum traducenda, cõmodùm exhibent. Quod totum ad aërem (vt denuò id repetam) communem viuẽtium omnium officinã detorquere, &

ad prognosticas cõmotionũ auræ prę ſenſiones in illis adaptare, nihil dubitabis, idque præſagio naturali: quod equidẽ Iamblichus philoſophus acutiſsimus à ſenſibus, & occulta corporum cum aëre ſympathia, vel alia virium naturalium in animalibus agitatione emergere, præclarè, vt multa, ex iſtimauit. Nam ſolo conſentientis naturæ impetu viget: vnde bruta ſibi dũtaxat ſentire, nobis verò pręſagire, obſeruantur: & de commodis aëris, quorum adminiculo victus, citò, tutò iucundè paratur, ſibi in primis lætari: de incõmodis verò, vnde cibi penuria, & difficultas, triſtari, Quod, vel me tacẽte, quiuis Sole meridiano clariùs percepit. Quid his ampliùs à me poſtulas? Sanè, tanta eſt Prouidentiæ exuberantia ad oſtendenda nobis ſigna, ſicuti ſcribit ille idem Iamblichus, vt etiam in calculis, lignis, virgis, lapidibus, frumento & farina, indicia præbeat futurorum. Vbi mirabiliter inanimatis animam, immobilibus motum, ratione carẽtibus intelligentiã quandã

præ-

pręſtare videtur: quaſi hęc cognoſcere videantur, vbi nobis futura portédũt. Deus per infima quæque cognitione carentia, patefacit quedam cognitione ſuperiora. Hæc ille. Cæterum animalia alia plus alijs ſentire, & pro vario natura cuiuſque, ac dignitatis, necnon ordini (vt cum Platone loquar) gradu, vt citiùs, ita certius pręſagire, apud me dubium non eſt. Cauſam ſi quis seriò exiget, ad eum in cuius manu ſcientiæ & ſapientiæ, omniúmque arcanorum theſauri latent, clementer remittam: quos dum collibitum erit, vt hæc & occulta alia pleraque intelligamus, nobis aperire dignabitur. Quamquam naturarum ἰδιοτροπίαν, & corporum (vt loquuntur) diſpoſitioné, quæ cauſarum plus dimidio plerumque eſſe ſolet, ſuam hìc prærogatiuam agnoſcere poſſe, non inficior. Sed in viam (ſi placet) redeamus, & Platonico Virgilio in probanda brutorum præſagitione nobis ſuffraganti, patiétem præbeamus aurem.

Haud equidem credo (inquit) quia ſit di-

uinitus illis.
Ingenium: aut rerũ fato prudẽtia maior:
Verùm, vbi tempestas, & cœli mobilis humor,
Mutauere vias, & Iupiter humidus austris
Densat erant quę rara modò, & quę densa relaxat:
Vertuntur species animorum, & pectora motus:
Nunc alios, alios dũ nubila vẽtus agebat,
Concipiũt: hinc illi auiũ cõcentus in agris,
Et lętę pecudes, & ouãtes gutture Corui.
Audis itaq; nulli animantium ab homine, diuinius & præstabilius ingenium datum fuisse. Qui quia prudentiã (vt dictum est) consilio & ratione omnia disquirit, temperat & agit: hisque, quasi sæuis tortoribus naturalem inclinationem debitè (quoad eius fieri potest) coercet, & ne corporis libertati subinuitante aëre ancilletur, arctissimè infrænat: vnus inter nubila gaudere, & in serenitate tristari potest: quod cæteris animantibus negatum esse constat quas solius naturæ, & ambiẽtis aëris calcaribus (vt sic dicã) agi & ad quæuis præcipites, qua data porta, excluso consilij & rationis di-
ctamine

ctamine raptari, non eſt in tanta luce, quod amplius à me illuſtrari, probariquæ contendas. Voluit itaque (vt rem omnem paucis colligam) diuina Maronis philoſophia, corpora, & illorum hoſpites animos, aëris commotiones tēperaturáſque ſequi. Quod ab Hipo. Heraclito, Democrito, & antiquorum pleriſque, deprōptū eſſe nō tam addubito, quàm verum eſſe exiſtimo. Paſsim etenim de illis audire facilè eſt, permultū referre quali in aëre corpora ipſa locata ſint, ex cuius habitudine varia, humores imaginationum pictores variè fermētari, & hinc ſtudia diſsimilia, diſparéſque animorum motus proſilire, cum Platone & Ariſtotele, fidem (etiam de libro) abundè fecit Galenus. Iam verò cùm aer ipſe, imò verò mūdus hic inferior, totus quantus eſt, ſuperiorū corporū lationibus neceſſariò (vt Peripatetica perſonat Philoſophia) ſubijciatur: cùm ſtellæ coloni cœleſtes, in aëre perinde atque in patētiſsimo campo, ſua quotidie lōgè latéque ſpargāt ſemina:

cùm in cœli & terræ coniugio (quod omnium primi docuerũt Pythagorici) vnus aër sit veluti paranymphus, in quo cœlestiũ radiorum quandã: quasi velitationẽ, quotidie fieri constat: ecquis amabo, inficiabitur prima commotionum suarum momenta cœlo debere? Sanè si pluuiarum, ventorum, niuis, tonitruorum, traiectionũ, cometarum, aut alterius meteori generationem prima ab origine spectas. Aristotelem, imò verò philosophantium familias omnes, vbique inclamare audies, Solem & astra de infimo terræ & aquæ globulo, aëri materiam, tametsi informem, in eos vsus subministrare: quam, auxiliares manus præbente cælo, dum aggreditur, elaborat, & fingit: mirũ non est si, vt Protheus alter, in varias formas, & naturam variam, pro materiæ qualitate, quantitate, motu, loco, & vigentium sydetum energia, sese subinde trãsfigurat: eásque mutationum vices, paratis corporibus facilè impertit: quæ in eo velint nolint (siue vigilent, siue dormi-

ant, siue quid aliud agitent) versari necessario coguntur. Habet itaque aër in brutorum corpora omni ex parte sibi mancipata (perinde atque in proprios equos auriga) imperium, vires & dominium: pro quorum præsagitione (βραχυλόγῳ præsertim) hîc philosophatum abundè satis erit. In quo si quispiam nondum sibi factũ esse satis existimabit, ad Aphrodiseum cãdidè relegabo: apud quem multa in rerum natura esse leget, quorum viam & cognitionem hactenus sapientibus abscondere voluit dominus: quam vbi visum erit: suis patefacere, gratis (vt omnia dignabitur. Reliquum est, vt ad rerum cœli, & naturæ candidatos, quibus potissimum hanc opellam nauauimus, nostra se conferat παρέκβασις. Itaque ne illotis (quod aiunt) pedibus, in mediam Aphorismorum nostrorum familiam irrumpatis φιλάγαθοι φυσιοφι, hic paucis, amicè vobiscum agam. In primis non solùm vos ipsos diligentes præstabitis circa aphoristicas signorum nostrorum obseruatio-

nes: sed etiam circa partium anni (in quocunque terrę tractu fueritis) naturalem constitutioné. Vnde nosse pretiũ operæ vobis est, quòd Ver secundum naturá se habens, quanquá calidum & humidũ, seu (vt vult Galenus) téperatũ existimatur: nihilominus in septétrionali hoc cœlo nostro, per initia humiditate quàm caliditate (ob præcurrétis hyemis viciniá) scatere magis deprehendetis: in fine, quia ęstati proximus est calidũ suprà quàm humidiũ: in medio, quòd inter vtrumque ex æquo volet, ęqualiter téperatum: tametsi id Galenus in nostro climate & vicinis ęgrè agnoscit. Itidem de Æstate existimabitis: quæ initio, ob Veris cõtactum calidor (modò sui iuris fuerit) quàm siccior sæpenumero experitur. In fine, quòd Autumno propinquet, contrà: in medio æqualitatem seruat. Sic Autumnus propter æstatis affinitaté, initio nobis siccus magis est, quàm frigidus: in fine, ob proximum hyemis cõtuberniũ, cõtrario modo habet in medio verò, quòd ab hac & illa æquali

passu

passu distet, suarum virium prerogatiua vti plerumq; solet Hyemē addetis, quæ ob præcedentis Autumni comitatū, initians frigida magis quàm humida nobis est: sub finē, ob assidentis Veris cōfinia, aliter habet: circa mediū frigida ex æquo, & humida censetur. Quod hîc perpetuum esse, si minùs explorabitis, ad ea quæ in Astrophania nostra de stellarum exortu & occasu trademus placidè cōfugietis. Ergo, signa, quæ ad humidas aëris cōstitutiones pertinent, Vere & hyeme, de proprijs locis adnotata, certiùs expectabitis, quàm excurrente anni quadrante alio: nisi quid preter solitam tempestatem occurrerit. Idq; iuxta adscriptos qualitatem gradus vnicuique parti anni. Sic Autumno surgente, & procedente Vere, tonitrua, ventos, grandinem, & similia (præsertim si secundum naturam se habēt) signis apparētibus potius excipietis, quàm aliud quiduis, & ita deinceps. Obseruabitis preterea, regionis, in qua versabimini, & ἐμφαινομένων periculum facietis, situm,

naturam, & ad cœlum habitudines. Vnde loca natura humida (cuiuſmodi ſunt lacuſtria, & aquoſa) pluuijs obnoxia magis eſſe, quàm ſicca, ſæpenumero deprehendetis. Montuoſa, & ædita, ſuſcipiendis niuibus, tonitruis & fulminibus propenſiora, quàm cũ planis humilia. Demum, atquæ Auſtris ſubijciuntur (maximè apud nos) vaporoſa & humida magis, quàm quæ Aquilonẽ, vel ſociorum ventorũ aliũ quempiam agnoſcunt. Ex quibus colligetis gelu, pluuias, vẽtos, aut alterius cõmotionis aëreæ ſpeciẽ, de proprijs ſignis, tanquam de fonte hauſtam, etiã in eadem parte anni, & regione quæ vno Horizonte claudetur, incertam (ſi locum ſpectabitis) prædictionẽ & fidem nonnihil ſuſpectam identidem præ ſe ferre. Quòd hic calor ob ſitum loci, vel obiectos mõtes, pro varia flatuũ natura, facilè nubes diſſoluat, vel aliò abire cogat: alibi contrà. Quæ res nequaquam vos conturbare debet: nã quemadmodũ omnis non fert omnia tellus, ita omne vbique non dat mortalibus

talibus omnia cœlum.

Hîc ſegetes (inquit poeta) illic veniunt fœ
licius vuæ,
Arborei fœtus alibi: atque iniuſſa vireſcũt
Gramina: nonne vides croceos vt Tmo-
lus odores.
India mittit ebur, molles ſua thura Sabęi.
Et rurſum.
Nec verò terrę ferre omnes omnia poſſũt
Fluminibus ſalices, craſsiſque paludi-
bus alni
Naſcnntur: ſteriles ſaxoſis montibus orni:
Littora myrtetis lętiſsima: deniq; apertos
Bacchus amat colles, aquilonem & fri-
gora taxi.

Cui hũc in modũ ſubſcribit Ouidius:

Nec tellus eadẽ parit omnia: vitibus illa
Conuenit: hęc oleis, hîc benefara virent.
Horum cauſam reddit Virgilius.
Quippe ſolo natura ſubeſt, &c.

Sanè, vt corporum (etiam in eadem terra, domo, vel familia) magnitudines, figura, & temperaturæ, ſatis per omnia non ſibi reſpondent, ſed habẽt alia familiare quidpiam, & diuerſum ab alijs: ſic terræ tractus (etiam in eodem hemiſphærio) inter ſe non omnino conſentiunt, Vnde quibuſdã ven-

tos quosdam familiares esse, aliis plu-
uias, nonnullis tonitrua, niues, gran-
dines, terræ motus, & (vt paucis di-
cam) suas cuique regioni peculiares,
vel ad minimam mutationem, inesse
cõmotiones, posthac iudicabitis. Quas
in hac Æromantiæ parte, nisi tam falli
quàm fallere mauultis, ne latum (quod
aiunt) vnguem præmittetis. Iam quod
ad ambitum locorum attinet, in quæ
iudicia aëris vniuersali significatione
diffundentur, hæc in præsentiarum ac
cipietis. Ad libri Horizontis, aut (si
vultis) hemisphærij finem, quia ocu-
lorum acies verè pertingere non po-
test, quantum cœli quod supra ter-
ram eminẽt, quisque (prospectum cir-
cunferendo) aspicere potest, id Hori-
zontis terminum, Latinis Finitorem
dictum sibi facit: quem trecentorum
& sexaginta stadiorum, vel (si placet)
duarum & viginti leucarum Galli-
carum cum vnius semisse, longitudi-
nem intra se continere, fidem faciunt
Optices periti. Nam centum & octo-
ginta stadia, quæ leucas nostrates vn-
decim

decim cùm vnius quadrãte ſtatuunt, in plano, & recto (altũ excipio in quo ſtellas videmus)non excedit acies etiã perſpicaciter intuentis . Hic oculatum illum Argonautam Lynceũ excludo, qui naues ex Cartaginenſi portu ſoluẽtes, de Lil ybæo Siciliæ promõtorio & vidiſſe, & numeraſſe fabulatur. Ad hunc itaque ſpatij terminum, occularis radius vbi venit, acceſſu deficiens in rotunditatem recurrendo, curuatur: atque ita fit vt hic numerus (centum, inquam, ſtadiorum, ſupra octoginta) ex vtraque ſpectantis parte antica & poſtica geminatus, trecẽtorum & ſexaginta ſtadiorum ſpatium relinquat, quod intra Horizontem diametraliter (vt ſic dicã) continetur. Porrò, quia circunferentiæ circuli quantitas diametro ter repetita, & ſeptima parte ferè ſuperaddita elicitur : vniuerſus Horizontis ambitus mille & centum ſtadiorũ ſupra vnum & triginta plùs minùs eſſe cẽſebitur: hoc eſt leucarum ſeptuaginta (triẽte minus, vel circitèr) adiecta vna. Hîc nõ ſum neſcius, Pro-

clum & alios plerosque à Macrobio dissentire, qui Horizontis diametrum (nisi corruptus est locus) binis stadiorum millibus, hoc est, leucis centũ & vigintiquinq́;, constare volunt. Cuius peripheria esset trecentorũ ferè stadiorũ, supra sena millia: aut (si libet) trecentarũ nonaginta quatuor leucarũ, cũ tertia parte vnius ferè. Quod si est, longè latéque à Macrobij sententia recedent Proclus & alij. Sed eam cõtrouersiam excitare fortasse potuit stadiorum mensura apud multos diuersa, quod ipsi videbitis. Ergo nõ existimabitis cùm physiologus de pluuia, serenitate, ventis, tẽpestate, tonitru, & similibus per signa sententiam dicet, in immensum ire. Nihil enim ad eũ qui in Barboniensi Ducatu apud Mõluciũ natale solum mihi dulcissimũ, de pluuia iudicat, num apud Cãpanos Galliæ, aut Hispanos pluat, necne. Erit itaque de constitutione aëris iudicium ad eum duntaxat Horizontem (qua dictum est formula) referendum, in quo signa circa Solem & Lunam, vel

alias

alias ſtellas, nubes item, montes, terram, aquam, & reliqua, vobis apparebunt: vel ab ipſis animantiũ corporibus, motu, geſtu, voce, aut alio quouis modo prodibunt. Quandoquidem à vaporibus, exhalationibúſve inter oculum veſtrum & cœlum, per inane deerrantibus, ſenſibiléſque brutorum partes (dum adhuc in via ſunt) titillãtibus fieri, vt ſuperiùs didiciſtis, ita fuſiùs poſtea audietis. Qui oculus, quia in ſui Horizontis centro vbique ſtat, de emergẽtibus duntaxat in eo ſignis, non neglecta (vt diximus) locorum, & partis anni naturæ, certò iudicare poteſt: ſed ita, vt iudicij trutinam ad eam partem ſemper inflectat, quæ prærogatiuarum pondus ad ſe pertrahet. Vt ſi æſtate pluuiarum ſigna vobis proponi videbitis, quia bona ex parte illa calida eſſe ſolet, & ſicca, proindéque nihil, aut minimùm cum pluuioſa aura commune habens, remiſſiorem humiditatem, vel pro ea nubiloſum tantùm aërem, pronuntiabitis. Hyeme, & Vere, validiorem. De

ſerenitate cõtrà,& ita deinceps. Sed at tentione dignum eſt, quòd quæ à nubibus, & ſpectris alijs in aëre ſuſpenſis, eruentur præſagia, in libro Horizonte & vndique peruio (vt tota cœli facies, cum ventorum tractu commodè pateat) exerceri debent. In quam rem, ſanequàm opportuna erunt rura, quæ (vt ſcripſit Plinius) verè intelligentibus, deprehendendo cœlo non minùs conferunt, quàm ſyderalis ſcientia agro fœliciter excolendo. Nec circa ventos vobis dormitandum erit: nam illos collectas in veſtro Horizonte nubeculas aërem conturbantes, nunc diſsipare, nunc aliò diſtrahere,& adnotata ſigna eludere, plerunque obſeruabitis, Quod nos in pluuie, grãdine,& tonitru locum habere, ſæpenumero animaduertimus. Vnde cõmotionum aëris prognoſtica, vbique certa nõ eſſe nec ſtata effecta ſemper ſuſtinere experiũdo diſcetis. Quãquam alicubi eſſe conſtat. Quod viderit vulgus, qui mutationum auræ prędictiones eadẽ die, imò verò hora &
mo-

momento, quibus in cœlesti Epheme ride, aut alibi exprimuntur, in propria vrbe, villa, agro, & (si dijs placet) etiam testa, & foculo, non sine prædicentium conuitio, ridiculè expectare solet. O quantum est in rebus inane. Est profectò res aëria (vt verè dicam) scrupulosa, & laboris difficultatísque plenissima. Sed de his per occasionem alio in loco. Ad vos itaque redeo, φιλ]α]οιφιςιόφιλοι quos ad prognosticorum fidem maiorem, sedulus (præter iam dicta) moneo, vt signa cõtraria etiam accuratè obseruetis. Itaque, vigente tempestate, aut pluuia, serenitatis signa examinabitis: per serenitatem, cõtrà: ita de reliquis. Nemo enim cerebri vsq; adeò euersi mihi esse existimatur, qui serenitatem intuẽdo, aut pluuiam, de illis seriò nõ iudicet. Optimum erit insuper, signũ signo cõiungere: & tribus, sex, decem, vel pluribus in vnum conspirántibus hærere. Adhæc præteriti anni, mẽsis, vel hebdomadę obseruata signa diligenter ad notare: atque his præsentia, & præsen-

ſentibus futura componere. Nam hîc (vt in Rhetoricis argumentis) etiam turba valet: & quæ non proſunt ſingula, multa iuuant. Quod ſemel dictũ, pro veſtra prudẽtia ad omnes Aphoriſmorum noſtrorum claſſes, tanquã theorema vniuerſale poſthac adaptare ſtudebitis: interim non ignari, quãpulrima hîc ſupereſſe ex parte cœli: cui corruptibiles iſta mundi inferioris cauſæ, velut primarijs & agentibus, vltrò obtemperant. In quo ſi paruam fidẽ mihi habetis, Ptolemæũ proferã: αἱ καθόλου (inquit) τοῦ ἀέρος ἐπιγινόμεναι ἰδιόχρονοι φαντασίαι, τά τε ὅμοια δηλοῦσι τοῖς ὑπὸ τῶν οἰκείων συμπτωμάτων κατὰ τὰ προδεδηλωμένα διὰ τὸν ἔμπροσθεν ἀποτελουμένοις, quod eſt. Generalia viſa aëris, certis tẽporibus ea ꝓtendũt, quæ ſunt in ſuperioribus, de ſuis quæque accidentibus explicata. Quanquam id ad Cometas, & vniuerſales alias aëris impreſsiones detorqueri poſſe, non ſum neſcius: Quod & vos noſſe, & cum his miſcere, maximopere cuperẽ. Cæterùm, hîc etiã mihi obiter admonen-

nendi eſtis, quòd ad calcē vniuſcuiuſque claſsis aphoriſticas ſententiolas, breues ac conciſas, ſed philoſophicas tamen & eruditas, vobis apponere non ſum grauatus. Ex quibus, naturas, differentias, accidentia & effectus rerum ſingularū quas in genere claſſis quælibet amplectitur, paucis colligere & excipere vobis licebit. Hanc enim methodum ſeruare vbique ſtuduimus, vt primo loco cauſas ac generationem cuiuſque meteori proferremus: Secundo, ſigna & prognoſtica eiuſdem: eáque certa & vbique gentium perpetua: necnon doctis & indoctis familiaria: ſiue ſurſum, ſiue deorſum oculos tam per diem, quàm noctem conuertatis. Surſum in cœlo & aëre. In hoc per nubes, ventorū flatus, ignita ſpectra, & alia. In illo, à Sole, Luna, Stellis & quæ circà apparent. Deorſum, in aqua & terra. In illa, ab his quæ ibi verſantur, aut inde emergunt. In hac, ex his quę ſumūtur à mōtibus, vallibus, ſyluis, rebus domeſticis, volucribus, omnis generis animalibus

libus

libus & aliȷs quàplurimis. Quarũ rerũ obseruationes partim hisce oculis adnotauimus, partim ab his qui toti in id fuerunt, & hodie adhuc sunt fideliter excepimus, partim etiã, imò verò maxima ex parte, ab antiquis & recentioribus scriptoribus, quos de catologo postea recensebimus. Quicquid id est accuratè selegimus, & in aphoristicas classes, facili methodo digessimus. Tertio & postremo loco, cuiusq; meteori ex propriȷs signis descripti, naturã differẽtias, accidentia, effectus, & particulatim alia multa vobis proponere sumus conati. Quæ omniũ complexio, semeiotice meteorologica dici ritè posset. Cæterũ, quo cõsilio hanc syluulã sic vobis cõcinnarim, paucis nunc demum accipite. Septimus hodiè annus elabitur, ex quo typographis hasce Ephemerides (Phænomena aliter nuncupatas) in vsum vestrũ excudẽdas cõmiseram. Quarũ exemplaria cùm iam diu desiderari audirẽ & sollicitè multorũ literis ac precibus ad secundã ędi tionẽ vrgerer, visum fuit illã quamplu

rimorum Aphoriſmorum acceſsione vbiq; locupletatã, emendatiorem tandem vobis emittere. Cuius rei, ipſi legendo, & priori æditioni cõferendo, teſtes ac iudices eſſe poteritis. Ex duobus itaq; rerũ aëris cõmentariolis noſtris (Phęnomena dico & Meteorologiã) vnum Enchiridiolũ auctius, & caſtigatius, noua methodo ſed facili tamẽ vobis elaborauimus & cõdidimus: nõ obſurdo ſanè cõſilio, nec item infœlici cõiugio, niſi mea φιλαυτία me inſigniter fallit. Verũ enimuero, ex vobis ſic fortaſſe inſurget quiſpiam: Quorſum Ephemerides iſtæ, aut quẽ vſum præſtant, quibúſve proſunt? paucis dicam: Agricolis, nautis, copiarum ducibus, ac medicis plurimùm prodeſſe certum eſt. Agricolis, quòd ex re illorum maxmè ſit, nõ modò præſentes tempeſtates, ſed & futuras bonas atque malas, tempeſtiuè prænoſcere. In quam rem poſt Varronem. Columellam, Pliniũ, Virgilium, Palladium, Heſiodum, & alios quamplurimos, teſtem citabimus Marc. Catonem, villicum ſuum hunc

hunc in modum admonẽtem. Opera omnia (inquit) naturè conficias face. Nam res rustica sic est, quòd si rem vnam serò feceris, ac occasionem cœli & aëris (si agriculturã spectas) filiam excluseris, omnia serò & frustra facies. Nec temere: nam καίρος, vt habet Hippocrates noster, ὄξος: & cœlum, vt adnotat Theophrastus, ꝓducit nõ ager. Ergo, prouido agricolæ, & colono necessaria est cœli ac tẽpestatũ prȩuisio: tum in serendo, tum etiã colligendo & reponendo. Nam in messem ipsam (vt scribit Plinius) damnosa ventorum prælia sæpe concurrere, imprudens sensit agricola. Hinc Democritum mente eius fratre Damaso æstu ardentissimo vigente, orasse tradunt, vt reliquæ segeti parceret, raperétque desecta sub tectum, paucis mox horis suo imbre vaticinatione probata: quã pridiano vespere, & matutina huius diei luce, de cœli vultu, & aëris motu prudenter exceperat, & imperito fratri ex solis phænomenis prædixerat. In nauigãdo, cauendum à ventis & tem-

pesta-

peſtatibus,pluuijs itē & procellis:quæ omnia qui non præuiderit, incautus opprimetur. In ducendis militaribus copijs, & regendo exercitu, Præfecti maximopere intereſt, via & pabulationis cauſa,necnō commeatus, & caſtrametationum, incurſinúmve,futuras tempeſtates ad vnguē pernoſſe: ne cum equitatu peditū acies, morbo & fame(quę omni ferro ſęuior eſt)lāgueſcat,ac viribus imbecillis, fractiſq; tandē concidat. Auditis itaq; & agricolis,& nautis,& militari ordini haſce noſtras Ephemerides vſum cum fructu maximum allaturas.Quod vnum, etiam ex Virgilij Georgico vobis cōfirmare,probaréque ſatago,qua parte de Æromatica verba facit.

Hinc tempeſtates (inquit) dubia prædicere cœlo
Poſſumus:hinc meſsiſque diem, tempúſque ſerendi:
Et quādo infidū remis impellere marmor
Conueniat: quando armatas deducere claſſes:
Aut tempeſtiuam in ſyluis euertere pinū.

Cæterùm etiam medicis plurimùm pro-

prodeſſe, vobis perſuaſum puto, quorum maximè refert, vt paſsim cum Hippocrate inculcat Galenus, non ſolum temporum mutationis quæ morbos potiſsimum pariunt, præuidere, ſed & aërem cùm pręſentem, tum pręteritum ac futurum diligenter exploratum habere. Cui medicorum filij omnes, Arabes, Græci & Latini, inter ſalubres, & inſalubres cauſas, principatum iure dediſſe mihi ſemper ſunt viſi. In ſumma, omni omnium hominum ſtatui, hanc noſtram aëriam πρόγνωσιν admodum profuturã ſpero: ne in diem, brutorum more, vitæ humanæ lubrica fragilitas tranſigatur: ſed ſit homo valetudinis ſuæ cuſtos diligentiſsimus: cuius partem bonam ſibi vendicat aër: atque dum foras ad merces, vel debitas operas, aut aliò: opportunè illi prodeundum erit ſeriò intelligat, & maturè expediat. Hæc verboſiùs fortaſſe quàm par eſt, vobiſcum præfatus, candidi rerum naturæ Candidati,

Vale dico.

Ephe-

EPHEMERIDVM AERIS Aphoristicæ classes quinque, hæc in summa habent.

PRima continẽt pluuiæ causas & generationẽ: Pluuię signa, abhis quæ omnibus per diẽ & noctẽ in cœlo, aëre, aqua, & terra apparent. Aphorismi in summa illic sunt 176.

Pluuiæ naturam, accidentia, differentias, effectus, & particularia alia multa Aphorismi 40

Siccitatis & serenitatis causas necnon generationem.

Siccitatis & serenitatis signa Apho. 54.

Siccitatis & serenitatis naturam accidentia, &c. Aphorismi 6.

SEcunda habet roris generationem. Pruinæ, nebulæ, & caliginis generationem.

Niuis generationem.

Grandinis & congelatorum granulorum generationem.

Signa roris, pruinæ, nebulæ, caliginis, niuis, grãdinis, & similiũ Aphor. 12.

Roris naturã, accidentia, differentias, effe-

TErtia complectitur ventorum causas & generationem.

QVarta expedit tonitruorum generationem, Coruſcationis ſeu fulguris generationem. Fulminis generationem.

QVinta & vltima exponit terræ motus generationem.

Totus libellus in ſumma complectitur Aphoriſmos plus minus. 545.

Cata-

CATALOGVS AVTHOrum quorum diligentia aërias obſeruationes cùm noſtras, tum aliorum, hîc confirmare ſategimus.

Aratus.
Ariſtoteles.
Aphrodiſeus.
Alkindus.
Albertus.
Aug. Nyphus.

Beda Angloſaxo.

Columella.
Caſſ. Dion. Vtic.

Firminus.

Geor. Valla.

Haly.

Iouia. Pontanus.
Iac. Milichius.
Ioan. Eſchuid.

Lucanus.
Leupoldus.
Lud. de Rigijs.

Marc. Manilius.
Marc. Varro.
Marc. Cato.

Ouidius.

Ptolemæus.
Plutarchus.
Plinius.
Politianus.
Palladius.

Seneca.

Theon Alexãdri
Theophraſtus.
Virgilius.

EPHEMERIDVM AERIS PERpetuarum Antonij Mizaldi Monluciani.

Claſsis prima.

Pluuiæ, & humiditatis aëris cauſa ac generatio.



SCHOLIS omnibus, gentium omnium rectè & accuratè Philoſophantium, hactenus cōfeſſum, probatúmque fuit, Solem & cœli aſtra, non ſolùm pluuiæ, ſed etiam reliquis meteoris omnibus, vt id deinceps dictum ſemel accipias) cauſam poſt Deum primam & præcipuam vbique eſſe. Quorum vi & energeia) vt à pluuiæ generatione auſpicemur) quia ab humidis locis & aquoſis, in mediam aëris regionem, craſsiuſculi vapores multi, ceu fune quodam ductario aguntur: diu illic ſuſpenſi,

ſuſpenſi, & ob loci frigiditatem in nubem concreti (extincto qui ferebat calore) quemadmodum expeditè, propter ſuſpendium & grauitatem diſſoluuntur, deorſumq́ſ ſtillatim erumpunt, ita pluuiam nobis faciunt. Quæſi minoribus guttulis crebra deſcendet, imber erit: ſi impetuoſe, & comprehenſim, ſubito brocera, La- aut Nimbus.

PLVVIÆ ET HVMIDItatis auræ ſigna, ab his quæ ſecundum phantaſiam omnibus in cœlo apparent.



OLEM (vt ex Arato trãſtulit Virgilius) certiſsima ſigna ſequuntur.
Et quę manè refert: & quę ſurgẽtibus aſtris.
Solem itaque emergentem ad diurnas aëris conſtitutiones quotidie obſeruabimus: labentem verò ad nocturnas. Quod Claud. Ptolemæum virum (vt Græcè dicam) φιλοσοφώτατον καὶ ἀστρολογώτατον, planè innuiſſe audies: τὸν μὲν οὖν ἥλιον (inquit) παρατηρητέον πρὸς τὰς ἡμερησίους καταστάσεις ἀνατέλλοντά πρὸς δὲ τὰς νυκτερινὰς, δύνοντα.

a Exorientis ergo ſolis, vel cadentis radios profundas nubes emulgere ſi videbis, aut ab eruginoſis nubibus liuidiſve, rufas obſcure, & puniceas intercipientibus eoſdem abſorberi, pluuiæ iam tum ſemina, pro ſoli, cœlo, &

partis

partis anni natura, ſurſum iacta eſſe exiſtimabis.
3 Solem cauum, & in nube ferruginea veluti demerſum exoriri ſi videbis. Ad hæc ex eius radijs, nonnullos Auſtrum, alios verò Boream languidè affectare, pluuiæ aut ventorum præludia eſſe exiſtimabis.
4 ſi Solis triſtis imago.
Lurida ſollicitis præbebit lumina terris.
Vel, ſol ipſe in emerſu, aut occiduo lapſu, ac ſi laboraret, tenebricoſus ſubuiridis vel cęruleus apparebit, adfuturos imbres nuntiabit.
5 Obuoluti atra nube matutini Solis radij, nulláque ex parte illuſtres ſuſpectam eo die pluuiam non ſecus red dunt, quàm ſi liueſcentes, & cineritiæ nubes cum aurora longè latéque per Horizontem glomerarentur.
6 Si Solem dum emergit, labitúrve corona plūbea, caliginoſa aut ſubruſa cingi animaduertes: aut ſolares nubes (quas Græci παρήλια dixerunt) radijs palleſcentibus eidē adeſſe: vēturæ pluuiæ, aut tēpeſtatis immemor nō eris.

7 Sol vbi nascentē maculis variauerit ortum, suspectos imbres faciet.

8 Si in ipso Horizontis contactu, vel haud ita procul, ascendentem Solem pullatę nubes, vento ad meridiem annuente circuncludent, quantò minùs luminis relinquent, tāto turbulentiorē tēpestatē, humidiorémq; prę se ferent.

9 Dum videbis solares radios per exortum & item occasum, veluti incrassessere: & facto vtrinque nubium liuentinm aggere, in arctum cogi, præmique, pluuijs delabentibus dies aliquot adiudicatos esse existimabis.

10 Quoties ante nascentem solē perexigua & veluti superficiaria nubes oborietur: & posthanc radijs varius supra Horizōtem attolletur Phœbus, aut vt scripsit Maro,

Ipsius in vultu varios errare colores
Sedulus aspicies, meritò terrebre nimbis.

11 Si Solis radij sub aurorā prætensi apparebunt, diffuséque super Horizontem, cresiores quàm consueuerūt videbuntur, pluuiæ aut venti obliuiscendum non erit. Qui si magis magisque sublato Sole delatabuntur, aquas certiùs

certiùs testabuntur.

12 Occidentem Solē itidem & orientem si obscurabunt nubes profundæ, effundētúrque circa eas hinc inde interuoluti radij, de pluuia aut vento dubitandum nequaquam erit.

13 Sol per nebulam, vel caliginosum aërem tota die, aut bona eius parte cōspectus: & instar pilæ, aut globuli ignei obseruatus, cœlum pluuias parturire innuit.

14 Nigræ circa Solem coronæ, vna vel plures visæ, horridam tempestatē, aut hyemalem aëris constitutionem in via esse ostendunt.

15 Cæruleus pluuiā Sol nuntiat: igneus
Euros.
Sin maculæ incipiunt rutilo immiscerier
igni:
Omnia tūc pariter vēto nimbisq; videbis
Feruere.

16 Si dum peroritur Sol, crassiuscula nebula è regione sursum ascendet, pluuiam dabit. Si è mari, vento nulla ex parte contrario emerget, vel circa mōtium summitates pratáve, aut syluas, aut lacus, aut fontes, vel flumina, mo-

ram

ram longam faciet, idem præſtabit.
17 Si Sole ſcandente, labenteve, nubes (quas παρήλια dici monuimus ab Auſtro, vel Borea, aut vtrobique denſiuſculo rubore, & liuidulo infici deprehendes, ventoſam pluuiam prænuntiare nihil hærebis.
18 Sol per nubes prædenſas, & alicubi feneſtratim diuulſas exoriens, adhæc radios obſcurè iaculans, vel quaſi diuiſus apparens, pluuiam (perinde atque ex turbato occaſu tempeſtatē) ſignificare pronus eſt.
19 Sol minor quàm conſueuit emergens, vel dum occidit, in plumbea nube diſparēs, què propius Horizōtis lineam ſic affectus pertinget, eò deſcenſuram aquam citiùs portendet.
20 Si fumoſus, & veluti puluerulentus aër, Solem diu triſtem, per auſtrinā cōſtitutionē reddiderit, illū pluuias ſurſum moliri, certiſſimum ſignum erit.
21 Sol dū exurgit, nubes vireſcentes præ ſe agens: vel radios diſcordes pallantéſve porrigens: adhæc circulo nigro circumplexus vaneſcens, pluuiarum

rum augur antiquis eſt habitus.

22 Si renaſcente Sole, aër tenebricoſus nubem quaſi circulo per Horizōtis labrum cōtinuam & luridā dederit: idē quod nūc nuper pollicebitur. Similiter ſi dū ad occaſum tēdit Sol, grauida nubes, illum (veluti abſorbēs) pręcurret.

23 Si ante ſolis exortum & occubitū, vel paulò pòſt, purpureæ puniceæve nubes vtcunq; preſſæ, & nigreſcentes, extemplo naſci, vaneſceréq; ſpectabūtur, leuiſsimarum pluuiarum ſigna dabunt: prædenſæ cum quodam liuore, magnarum. Quanquā hoc apud nos (præſertim æſtate, in qua Solis radius potenter digerit) veritati vbiq; nō ſubſcribere, ſepenumero ſum expertus.

24 Sol manè, facie inſolita emergens, aut luthea in nube, vel ſubfuſca deliteſcēs, aurā pluuioſā portēdere natus eſt.

25 Si rutilum & candentem Solis occubitum liuidæ nubes & obſcuræ comitabuntur, pluuias aut perturbatum aërem promouebunt.

26 Sol in ſuo emerſu, vel haud ita procul, adhæc in elapſu, inſignem ca-

lorem ſub caliginoſo aëre, præter diei & partis anni rationem, ſecum aduehens: ſi nō aderit ventus (Vere maximè & Autumno) pluuiæ vel tonitru ſigna, ob oculos actutum ponet.

27 Rubedo calente aëre, circa Solem naſcentem viſa, ſed tamen liuore permiſto ſuffuſa, idē quod priùs intentat.

28 Si orientis Solis orbicularis facies ſplendidulum lumen & perfectū non habebit: pluuiam, aut pro ea nubiloſum aërem exhibebit. Cuius centrum ſi abſque vllo radio videbitur, ſimile quid adfutu[illegible]n nuntiabit.

29 Si Sol occidēs nubes atratas ſecū pertrahet: vel manè antequàm ſupra Horizontem caput efferat, radios nullos, aut ſaltē palleſcentes iaculabitur: pluuiam in procinctu eſſe admonebit.

30 Quoties Sol veluti nigreſcēs, craſſiuſcula nube præcurrente, occumbet: eiuſque radij omnes de circulo obliquè torquebuntur, hi in vnam partem, alij in aliam diſsilientes, pluuias hinc portendi certus eris.

31 Si Sol in ſuo emerſu & lapſu, dum

Fini-

Finitori adhuc propinquus est, solitò maior videbitur, aëre non admodum purgato, & nitente, spirantibúsque Austris, pluuias illum augurari hinc ritè existimabis.

32 Parahelios (Soles alteros dixerunt Peripatetici) suo etiam in pluuijs testimonia habere, nescius nō eris. Quos illi iidē tradiderūt fieri, in nube humida, leui, nōnihil densu & vniformi. Sed sub Sole minimè stāte (vt Halo) nec ex opposito, (vt iris) quin potiùs proiecta ad latus, & æquabiliter in parte illustrata: ex quo fit, vt radiorum reflexu, & refractione, perinde atq; in polito & bene terso chalybe Solē colore, magnitudine, & figura nobis facilè mentiatur: nisi quòd albicat magis Parahelius, quàm Sol, Austrum versus vel Boream illi lateralis semper apparens. Vnde plures duobus visi vix vnquam fuerunt Paraheliј. Quæ phantasia tres Soles & totidem Lunas (nam sub Parahelio, etiam Paraselene, vt postea dicemus, locum habet) aliquādo comparuisse, rerum naturæ imperitis leui-

ter admodũ imponeri potuit. An verò
ab alijs ſtellis idẽ fieri poſsit, ſuſpẽſam
ſentẽtiã tenere malo, quàm de dubijs
& incertis temere quidquã ꝓnũtiare.
33 Auſtrales Parahelij, vt rem (quod
dicũt) acu attingamus, magnarũ pluui
arum teſtes eſſe cõſueuerũt: Boreales
nõ item. Quod ad aëreas virgas (Græ-
ci ῥάβδους nuncupãt) nõ ineptè accõ-
modare etiã licebit. Quas Sole in ex-
ortu vel occaſu degẽte, ad alterutrum
mũdi latus, Auſtrale, inquã, vel bore-
ale, inſtar lineæ de terebrata nube in
terrã perpẽdiculariter ſub vario colo-
re (cuiuſmodi eſt Iris) deſcendere fre-
quenter obſeruauimus. Vnde Irinas
virgas inſcribere viſúm fuit. Ex qui-
bus Auſtrales, vt in Paraheliis, potiùs
quàm Boreales, aquã, & aëris pertur-
bationes portendere, nõ temere, mea
ſentẽtia, adnotarunt antiqui. Quanquã
Ptolomæi interpretes, Parahelios &
virgas nunquã apparuiſſe tradunt, ni-
ſi per ea tẽpora Halo, aut Iris etiã ap-
paruerit, nam vtrobiq; vna omnium
ferè eſt cauſa, nimirũ radiorum Solis,
vel

vel eius corporis, à nube pluuiatili, per
inde atq; à ſpeculo facta refractio: niſi
quòd perpẽdiculariũ linearum nubes
in æqualis eſſe ſolet: hoc eſt vna parte
denſior, altera verò rarior: in quam de
cidentes radij, partibus minús adden-
ſatis, ceu per foramina quædã, & cir-
culos vitreos, nũc rectè, nunc obliquè
deorſum feruntur: proindéq; virgas
ſub diuerſis coloribus in aëre depin-
gunt varias. Puniceas, ſi denſior erit
nubes, ac nigricãs. Virides, ſi rorans.
Cæruleas, ſi ex lutheo viridis: & ita de
inceps. Nam lucem res coloratas trãſ-
euntem, ipſarummet coloribus, vt do
cet Optographia, inſigniri, tam eſt cer
tum, quàm Sole lucente, diem eſſe.
Hactenus de Sole: ſupereſt vt ad Lu-
nã & ſtellas, cõmodè progrediamur.

LVnam (inquit Ptolemæus) obſer-
uabimus in itinere ſuo dierum tri-
34 um ante interlunia, & totidẽ poſt,
ipſáq; plenilunia, ac medium tempus
quo erga Solẽ (vt ſic dicã) quadratur.
Nam certiſsimũ eſt, ante tres ferè dies
omniũ tempeſtatũ ſignificationes exi
ſtere

ſtere ſolere: aut etiã poſt tres exæqua-
ti itineris lunaris erga Solem. In cuius
ſententiam, tametſi cum Theophraſto
deſcendit Lucanus, Plinius nihilomi-
nus, & Virgilius, cum Angloſaxone
Beda, diem quartũ hîc contemplabilẽ
eſſe volunt. Aratus, & Theon Alexan
drinus, inter vtrunque volantes, mo-
dò hunc, modò illum obſeruandum
proponunt. Quam controuerſiam fa-
cilè (niſi valde hallucinor) cõponet, qui
in Mathematicis, atque adeò in orbiũ
& motuũ Lunæ theoria, vel per trã-
ſennam (quod dicunt) erit verſatus.
Namque ab his perſpicuè docebitur,
die à congreſſu cum Sole nunc tertio,
nunc quarto, citiùs quandoque, non-
nunquam tardiùs, Lunam nobis ap-
parere. Si enim ipſa luminarium ſyno
dus, ſub Ecliptica, in decliui cœle-
ſtis Spheræ ſitu, à fine ſagittarij, ad po
ſtremum Geminorum ſcrupulum, cõ-
tinget: tũc cùm Sol (vt à Ptolemęo ex
cepit Purbachius) occidendo in Hori-
zonte fuerit, plures gradus erunt in
circulo reuolutionis Lunæ ab ipſa ad
Hori-

Horizōtem, quàm de Zodiaco à Luna ad Solem occumbentem. Vnde, in climatibus ſeptemtrionalibus, antè videri poterit, quàm ſi fuiſſet in altera Zodiaci medietate: tunc enim exiguo tẽpore longiùs á Sole poteſt elongari: & maximè in Ariete, ſigno obliquiſsime aſcendẽte, & rectiſsimè deſcẽdente. Prætereà ſi velox motu erit, citius apparebit quàm ſi tarda. Et ſi inter Solis & renaſcentis Lunæ obitũ, duodecim Æquinoctialis tẽpora, ſeu gradus (id eſt horæ ſupra dodrantẽ propemodũ ſemuncia) intererunt: tũc: Cynthia ex Alphragani, & Albategni ſententia, noua conſpici poterit. Sed Lunæ latitudo ab ecliptica cũ his omniũ maximè obſeruanda venit. Nam ſi à coniunctione, in latitudinem ſeptemtrionalem mouebitur, celeriùs ob oculos verſabitur, quàm ſi in meridianã. Fit igitur quãdoque, vt cauſæ iſtæ omnes concurrãt: & tunc eodem die Luna vetus & noua cõparere poteſt. Quãdoque duæ tantùm: & tunc die á fraterno coitu altero ſpectatur. Aliquãdo
vna

vna duntaxat, fitq; vt tertio die tum maximè se prodat. Nõnunquã omnium oppositum accidit, & tunc quarto die cõspicuã se præbet. Quæ res, mea sententia, de decretorio cõmotionum aëris Lunari die antiquis eã cõtrouersiã peperisse potuit. Sed omissa Lunaris luminis apparitione (neq; enim, vt astra reliqua, solo lumine agit luna, sed etiã motu) tantorum virorum litem eam via alia cõponere aggrediamur. Qui in quartũ à synodo diẽ, suas obseruationes cõiecerũt, hi à cõgressus, vel interlunij cardine, semiquadrangulum primũ, respexisse mihi vidẽtur. Nã eo die τοῦ ἑξκαιδεκαέδρου hoc est sexdecãgulę priscorũ figure, latus secundũ, quod graduum est quadragintaquinq; á primo, & tetragoni seu quadrati dimidiũ, Luna exactè possidere inuenitur: qui dies quemadmodũ in critica morborum perscrutatione, septimi ex Hippocrate est index, ita primæ lunaris septimanæ, quòd ad auræ cõmotionesattinet, significator esse illis potuit. Qui verò diem post cõuentum tertiũ respexerunt

xerunt, cōtemplabilémq; admiſerunt, perfectum quidē illū, & prętere a initiatum quartum, ac iā tum fluentē (perinde atq; apud medicos in critico die vigeſimo ſequentē, nimirum primum ſupra vigeſimum, & in fine tercij gradus pro plātarum tēperamēto, quarti initium) intelligere, niſi validè fallor voluerunt: Quo die, Luna κωνοειδὴς & κερατώδης hoc eſt corniculata, angulum à coniunctionis momēto, ſemiquadratum etiā tenere plurimúm conſueuit: dextrum: tribus ante coitum cōpletis diebus, & quarto labente: ſiniſtrum, totidē poſt. Quod ad reliquos angulos, aurę mutationum iudices certiſsimos, eodē pręcurrente, ac ſequēte dierum numero, aptandū poſtea pręcepit Ptolomæus, rerum cœli interpres, & perueſtigator diligētiſsimus. Ad quartum, vbi Luna à primo fraterni congreſſus loco (vt loquūtur) quadratur: octauum, quando eidē tota diametro oppoſita eſſe ſpectatur, poſtremo, ad duodecimū, dū tetragonū vltimū rurſum adimplet. Que omnia in figura ſex

decim

decim angulorũ debitè, vt ars exigit, extructa, eadem ferè methodo qua in morborũ decretis, iutueri perfacilè erit. Ergo, ad motum quicquid id eſt, ſi videbitur detorquebis. Nec omittes Lunaris corporis in proprio epicyclo cũ velocitate tarditatem: quę plerunq; facit vt motus ipſe nõ ſatis vbiq; ſibi cõſtet, hoc eſt, in temporibus æqualibus, æquales tã Zodiaci, quám Æquatoris arcus non ſemper deſcribat, nec cõſequentibus diebus ſibi (numero ſaltẽ) reſpõdentes gradus æqualiter percurrat. Quæ res planè efficit, vt dictos ἑξκαιδεκαίδρου angulos, nũc citiùs, nũc ſeriús Luna ingredi, proindéq; videri cogatur. Pythagoricos numeros in hac cõtrouerſia de ternario & quaternario, cum Peripateticis longum valere iubebimus: vt qui energeiæ parũ aut nihil hîc ſuſtineant Vtut ſe res habebit, contemplabimur primùm ſurgente à cornibus vtrinq; Lunam: aliàs enim eam alio depingit Heſperus colore, aliàs aliæ facies miſcent: à quibus de menſe inſtante perquirere poteris.

Signa

Signa tamen omnia, inquit Aratus, nō omnibus diebus eueniunt, ſeu quę tertio (vt diximus) quartóque fuerūt, vſque ad dimidiatam, & à dimidiata ipſam vſque ſemimenſtruam, atque rurſum à ſemimēſtrua ad dimidiatam decreſcentem. Aliȷ̃ diligenter Lunæ articulos octo, quoties ſcilicet in aſpectus Solis ſuo menſe incidit, hîc (perinde atq; in morbis) obſeruandos volunt. De quibus & ἑξκαιδεκαέδρῳ Ptolemæi critico, fuſiſsimè aliquando leges in noſtro Seleniatrico.

35 Luna itaque tertia, quartáve (vtrū libet acceperis, vnguē non vorterim) ante interlunium, & poſt adhæc tetragonum vtrumque, & appoſitionem, fuſca, pallida, cærulea, aut ſubuiridis conſpecta, pluuiarum tempeſtatúmque præſaga habebitur.

36 Si Luna ĳſdem diebus, prætumidum (ſuprà quàm par ſit) obſcurúmq; ſchematiſmum, vtroq; corniculo veluti emarceſcente, præ ſe tulerit, adfuturam pluuiam indicabit.

37 Luna in ſommo corniculo nigras macu-

maculas habens, primis partibus mẽsis imbres futuros significat: si in medio. cùm plena erit serenitatẽ portẽdit.
38 Si per iam dictos dies, cornua solitò densiora, amplioráque, & in semiuauiculato corpore nonnihil obtusa prætenderit Luna, aquas spondebit.
39 In Lunæ triduano exortu si Notus spirabit, quarta die plùs minùs delabetur pluuia.
40 Luna nascens, cornu superius ob atrum si habebit, pluuias decrescens dabit. Si inferius, ante plenilinium. In medio nigrescẽs, circa oppositionem.
41 Luna ante diem quartum, spirãte Austro non comparens, modò nulla supradictarum causarum obstiterit, hyemalẽ aëris constitutionem, toto ferè illo mense promittit.
42 Luna primo suo iã dicto exortu, nigriora solitò, crassioráq; habẽs cornua, horridã tempestatẽ ac imbriferã, excurrente illa reuolutione portendit.
43 Si Luna falcatam sui corporis particulam tam gibbam, quàm simam, atro colore, ceu veste quadam lugubri

bri, induerit, venientes pluuias illam indicare certus eris.

44 In vtriusque Lunæ dichotomis, lumen per totum lucentis semicirculi segmentum liuescere, vel nigricare si obseruabis, pluuia haud frustra terrebere. Quod signũ, ad tertiam & quartam Lunæ ætatem, non ineptè etiam adaptasse visi mihi sunt antiquorum plerique.

45 Luna triduana corniculum altero elatius, sub colore plumbeo exhibens, pluuiosam hebdomadam præsagit: imò verò secundum nonnullos, menstruam bona ex parte peragrationem illam.

46 Si suo tempore & modo nõ comparebit Luna: aut nubẽ liuidè fenestratã architectari videbitur, pluuias (ni validè spirauerint vẽti) licebit expectare.

47 Luna ferrugeneam faciem præ se ferens, vulgò pluuialis haberi solet: cuius extremorũ alterũ corniculatũ, si altero sublimius deprehendetur, semipluuiã aëris cõstitutionẽ pollicebitur.

48 Lunaris radius in nocturna nauigati-

uigatione ad remos ſcintillaus, humidum aëris ſtatum breui adfuturum, nautis hactenus præmonſtrauit.
49 Lunæ radij, Auſtro ſpirante, obſcuriores, craſsiores, breuiorèſque in terram deſuper tranſmiſsi, pluuias promittunt.
50 Si Lunam nocturnos ſuos equos agentem præcinxerit verſicolor circulus, non admodum tranſparens (qualis eſt Iris, vel huius plumæ alius) aquam vnà cum ventis affatim deſcenſuram teſtabitur: maximè ſi ad meridianum latitudinem Luna ipſa perrexerit.
51 Luna diebus paulò antè memoratis ſine cornibus, vel cum obtuſo illorum apiculo conſpecta, hyemalem aërem & pluuium indicat.
52 Phœbe ſummo corniculo nigreſcens, pluuioſum menſis exordiũ proferre nihil cunctatur.
53 Luna circa ſui globuli partem quę eſt expers luminis, coloribus ex rufo & viridi liueſcentibus inſignita, nimbos, aut validos ventos ſæpenumero

ro præſagit.

54 Lunares circuli diuerſis horis plu res viſi, & ſemper in nigerrimas, aut fuſcas nubes exoluti, magnos imbrium exceſſus metuendos admonent.

55 Area, ſeu circulus, Græcis ἅλως nuncupatus, Lunæ corpus, cœlo alioquin ſereno, ſub rufo, colore, cœruleo vel liuido, indiuiduè circunſcribens, aëris cõmotionem in aquas procliuẽ arguit. Qui ſi alterum, vel plures comites ſibi aſciuerit: quò numeroſiores erunt & obſcuriores, eò vehementiorem, validiarémque tempeſtatem ſignificabunt. Quanquam Peripatetici Lunares areas, quàm Solares ventoſas magis eſſe contendunt.

56 Si nocturnæ Lunæ, Græcis παρασελῆναι ad auſtrale cœli latus plures cõparebut, magnarum pluuiarum breui adfuturarum, ſigna exhibebunt

57 Ab alijs (inquit Aratus) licebit alia ſigna per noctem & diem elicere. Obſeruabimus itaque & coronas ſeu circulos, circa primæ claſsis inerrantes ſtellas, aut errantes viſos. Nam ſi

nigreſcent,aut cærulei,rufi, viridé ſve erunt : vel ſidera ipſa obtuſam aciem, & craſsiuſculum, torpentémque radium præ ſe ferent,pluuias dabunt.

58 Inter ſtellas Cancri,vna eſt nebuloſa, Præſepe dicta : & non procul ab illa duæ aliæ. Aſelli nuncupatæ, paruo ſpatio inter ſe diſtantes. Hæ ſi per ſerenitatem vel ſpiſſæ, vel obſcuræ apparebunt,aut nubecula inficienter,pluuiam & hyemalem tempeſtatem,pro ſoli & partis anni natura, breui adfuturam indicabunt. Quòd ſi ex Aſellis auſtrinus latuerit,pluuiam cum meridiano vento deſignabit. Si verò borealis,ventum ſeptentrionalem,cũ niue, aut grandine. Si vterq; , turbatum aërem variè portendet.

59 Vergiliarum nubilus occaſus,pluuioſam hyemen antiquis nunciauit. Si verò ſereno tempore occiderunt,ſerenam & aſperam hyemem protenderunt.

Plu-

PLVVIÆ SIGNA AB his quæ in aëre fiunt & apparent.

NVBES rufę, vel ferrugineę, matutinum Solem præcurrentes, pluuias minātur. Vesperi purpurascentes, serenitatem, aut ventos, locis & temporibus anni opportunis. Quod reliquis deinceps adaptabis.

2 Nubes liuidulas, aut ex rufo virescentes, necnō carptis, vel integris velleribus similes, à meridie, seu (vt habet Plinius) ab oriente, confertim per aërem discurrere si videbis, intra triduū, plús minùs, aquas expectabis.

3 Nubes multæ, etiam roseæ, Horizonti æquidistantes, parte infima si nigricabunt, aquas portendent.

4 Nubes quæ à meridie in septētrionem tendunt, bona ex parte pluuiarū nuntias esse, & testatum & obseruatum hactenus fuit.

5 Nubes obscuræ & profundæ (cœli κατάῤῥακτας nonnulli dixerunt) ex eo

Horizontis tractu, vnde ſpirat ventus emergentes, quantò vniformi nigrore nigriores erunt, & Hemiſphærij ſpatium maius, cum vento creſcentes, occupabũt, tantò certiùs pluuiam, eàmque ingentem ac diu duraturam effundent ac refundent.

6 Nubes ex rufu plũbeæ, non procul ab Horizonte cumulatim hincinde agglomerate, ita vt ſuccedentibus à poſtica, ægerrimè cedãt, pluuioſam aëris conſtitutionem imminere oſtendunt.

7 Nebulam aut caliginem per inferiorem aërem latiſsimè effundi, ſurſúmque paulatim perreptare ſi ſpectabis, pluuiam præſtolaberis. Sin à Sole diſgregari, aut infernè ſenſim abſumi, ſerenitatem.

8 Caligo per aërem hinc inde tota die, vel bona eius parte effuſa & veluti diſſeminata, cœlum humidas nubes ſurſum architectari innuit.

9 Ventus imbecillus ab Auſtro identidem ſpirans, & breui tempore in diuerſas Horizontis regiones, variè errando ſeſe conuertens, venturæ plu-

uiæ teſtis eſſe plurimùm conſueuit.

10 Poſt Ecnephiæ caſum (de quo in ſequentibus) pluuias plurimùm ingraueſcere, author eſt Ariſtoteles.

11 Si per hyemem, initia veris, & finem Atumni, flante ſeptẽtrionali vẽto, aẽris aſperitatem remitti animaduertes:& aliunde flatus cum caliginoſo aẽre mutatis ſedibus proſilire, pluuias aut niuem expectabis.

12 Hiberna tonitrua, vti etiã Æſtiua manè & quandoque veſperi mugientia, aquam ſignificant. Itidem ſi Autumno à Borea plurimùm coruſcabit.

13 Vere & Autumno, necnon ſub Æſtatis initia, ſi plus tonabit Iupiter quàm fulgurabit, hyemalis aẽre expectandus erit: eóque infenſior, quò frequentiora ex quatuor cœli cardinibus, de grauida nube percrepabunt fulgetrigera tonitrua.

14 Si videbis ab Auſtro per diem ſerenam, vel noctem, multum fulgurare, poſtridiè pluuiam formidabis. Si à Choro, Fauonio, vel Euro, flatum, aut leniſsima ſtillicidia, conſentiente anni

parte, & ſoli poſitione.

15 Coruſcationes manè, veſperi, & per noctem abſque tonitru (aëre nubibus turgente) affatim emicantes, pluuiã certò promittere neſcius non eris.

16 Si de montis verticè ad Meridiem perflãte Noto coruſcabit: Vel zephyro ſpirante ad Boream, futuræ pluuiæ, aut tempeſtatis præludium habebis.

17 Irim, aëre alicubi nubiloſo conſpectam, aquas breui ſpargendas exhaurire, fidem hactenus fecit obſeruatio. Quæ, ſi in meridiem annuet, illarum vim maiorem cumulabit.

18 Si Iris Sole occidente ad orientem eminebit, tonitrua vel pluuias, conſpirante anni parte, ſpondebit: eóque certiùs, ſi aut gemina, aut multiplex apparebit.

19 Conſtantes & completæ, diúque vigentes Irides, ex tranquillo cœlo tempeſtuoſum, & ex ſereno pluuium plerúmque portendunt. Quod ad Lunares perinde atq; ſolares, non ineptè etiam adaptabis.

PLVVIÆ SIGNA EX his quæ ab aqua ſumuntur.



OS qui ſuo tempore & loco adeſſe debuit, dum aberit, nec vẽti eius fomẽ um diſsipantes vſpiam comparebunt (maximè circa plenilunia) pluuiã, aut flatus inſtare coniecctandum erit.

2 Pluuiales guttæ ſubalbeſcentes, & amplas magnáſque bullas deorſum molientes, ſtillantium aquarum durationem, & ſi cum mora aderunt, concitationẽ non obſcurè teſtabũtur.

3 Pluuia, quocunque tempore ſtillicidiis primis perexigua, deinde paulatim inualeſcens, ingentiores aquas, quàm ſi cum impetu derepente cecidiſſet, adſuturas nuntiat.

4 Aqua affatim deorſum labens, ſi quàm conſneuit citiùs abſq; ventis reſiccabitur, nimboſam aëris conſtitutionem, pro foribus ſtare indicabit.

5 Si aquæ ſtagnantes, abſente Solis radio, præter ſolitum incaleſcent, pluuiam non paruam, licit fortaſſe ſeram minitabuntur.
6 Si per hybernum gelu obſeruabis concreta ſtillicidia, adhæc niues & pruinam, nullo vigente Sole liqueſcere: præterea, lineos pannos, vel laneos ſub dio rigentes molleſcere, adfuturæ pluuiæ ſigna hinc certiſsima, certò tibi promittes.
7 Si videbis vapidum neſcio quid, & veluti roridum, politis parietibus, ac vitreis corporibus, necnon ligno, aut ferro, conſequentibus diebus aliquot, abſque manifeſta cauſa ſaltem de ſuperficie hærere: pluuiam intra breue tempus, haud dubiè expectabis.
8 Mare, ſereno cœlo longè latéque reſonantia littora miſcens, vel ſolitò plus murmurans, pluuias aut ventos portendit.
9 Diſperſæ maris ſpumæ, & ſubita inſperatæq; fontium ac fluuiorum exſiccationes, ingentem pluuiam, licet tardam, antiquis ſignificauerunt.

90 In littoribus & ripis, oblongi arenarum cumuli, fremente mari aut fluuio, hinc inde disiecti, pluuiam non secus demonstrant, quàm si obatrum, & prospectui ægerrimè patens fuerit pelagus.

91 Dum Ranæ, confusè, & immodicè coaxabunt (nisi fortasse vbi in furias, venerémque ruunt) pluuias propinquas esse inclamabuut.

92 Conchæ, & marini Echini, saxis sese affigentes: adhæc Cancri ore, forficatísque pedibus lapillos prehendentes, & se arena saburrantes, pluuiosam tempestatem prænunciant.

93 Pisces per serenitatẽ supra aquas subsultum micantes, & identidem ac si volarent iaculati, pluuias instare nos commonent.

94 Aduentante pluuiosa tempestate, octipedes Cancri ex aqua egredi, & se itineri, motu regradario, accingere plerumque sunt visi.

PLVVIÆ SIGNA A terra accepta, & rebus quæ in illa ſunt.

SI MONTES æditiores, in rebus aëris obſeruari ſoliti, ſuos vertices nubibus ita obueſtitos habebunt, vt ab hominum proſpectu, vel cominus excludantur, pluuias ingruere manifeſtabuntur.

2 Montes halitum vſque adeò denſum & craſſum perſpirantes, vt ne à Sole quidem & vento diſpergi poſsit: futuræ pluuiæ ſigna omnium oculis admouent.

3 Prȩruptorum montium, ſyluarum, turrium, & campanilium ſolitus color manè & veſperi diſparẽs, vel aliam à conſueta faciẽ, pallidã præſertim aut caliginoſam prȩ ſe ferens, venientium pluuiarum augur tibi cenſendus erit.

4 *Si magnos audis fragores mõtibus altis*
Ac ingens paſsim nemorum increbreſcere murmur:
Si ſpectas paleam & frondes volutare caducas.
Et ſũma nãntes in aqua colludere plumas:
Inſtãtis venti rabiem, pluuiaſq; timeto.

Si

5 Si videbis capſularum ligna, in quibus carnes ſale condiuntur, ſtillatim quaſi collachrymare. Adhæc ſalem in vaſculis vltro liqueſcere, pluuiarum teſtimonia hinc habebis.

6 Spinoſus cardui echinus ex agris, vbi habitior factus eſt, domum cõportatus, & in ædium tabulatis, camino, vel contingnatione, aut alibi appenſus horrentes aculeis, & patẽtes ſuas alas ſi clauſerit: ſéque veluti in nouum habitum pro tempore compoſuerit, venientis pluuiæ ſignum certum erit.

7 Lucernæ oleum, aut flãmulã quaſi iniecta aqua, frequenter, inſolentérque (modò cauſa in oleo non fuerit) ſcintillare ſiquando proſpities, hyemalem aërem & pluuium inſtare memor eris.

8 Quoties foculũ ægrè lucere & incẽdi (modò cũ materia difflatio ob ſtruẽ intercepta nil prępediret) animaduerterunt antiqui: adhæc, in ardentibus el lychniis veluti callũ obduci: & cruſtaceum neſcio quid adnaſci, idem quod antea adfuturũ diligenter adnotarũt.

9 Si per caliginoſam noctem, debitè, vt par eſt, non mouebitur lucernæ flã mula, luménque ipſum quaſi langueſcens (etiã effuſo, quod ſatis, ſit oleo) emarceſcet: præterea ſi lucernales radiȷ ſolitò denſiores apparebunt: adfuturæ pluuiæ teſtimonia cum reliquis inculcabunt.

10 Si ignis cineribus bene conditus, fauillam ſcintilláſve identidem excuſſerit: aut cineres ipſi in foco, abſq; cauſa manifeſta, concreſcent: pluuias, vel tempeſtates certò ſpondebunt.

11 Si obſeruabis ignes quoſcunque, paleſcere, & non cogente materia, aut re alia externa, crepitare: inſuper candentes carbones neſcio quæ carpuſcula, miliaceis granulis ſimilia, & circùm ſplendicantia oſtentare, pluuiarum auguria non omnio vana hinc bene elicies.

12 Flamma in foculo, nulla præſente cauſa ſuppreſſa: & fumes per camini ſpiracula non liberè euolans, pluuiam haud procul abeſſe teſtatur.

13 In agris nullo motore præuio, exau-

auditus fragor, & veluti cœli mugitus non dubiam pluuiosæ tempestatis significationem coniunctam habet.

14 Calor, Æstate, Vere, & Autumno, supra aliorum dierũ statum, homines & iumenta solitò acriùs infestans, pluuiarũ lapsum suspectũ esse admonet.

15 Campanarum soni, etiã eminus, acutissimè præter consuetudinem excepti, pluuię signa confirmabũt: modò ventus ab Austro diuersus in causa non fuerit.

16 Aranearum veluti pensa, aut his simile quidpiam, vt sunt plantarum pappi, arborum lanugines, telarum filamenta, & huiuscemodi alia, per australem aërem volitare, exspatiaríque si animaduertes: præterea fuliginem sine manifesto impellentis sensu decidere: & nescio quid, ceu tenues lanæ flocculos per cœlum ferri, adfuturam tempestatem, aut hyemales dies, pluuios ac humidos, hinc prænunciare nihil dubitabis.

17 Araneæ per parietes, aut alia loca, insueto spectaculo prodeuntes, & ve-

ſuti deficiente greſſu, deorſum labentes, pluuiam, ceu de pictura, ob omnium oculos ponunt.

18 Muſicorum inſtrumentorũ ſubtẽſæ fidiculæ ruptim diſsilẽtes: & hoſtia abſq; manifeſta cauſa, aperiri claudíq; ſolitò contumaciora, aërem pluuias nobis miſcere palam nuntiant.

19 Pelliceæ Zonæ, corrigiæ item, & ſimiles ligaturę, ſolito cõtractiores redditæ: necnõ pyxidum opercula, quàm conſueuerunt ſtrictiora, ſummaq; manuum, ac faciei cuticula, attactu ſupra modum arida apparens: idem quod ſuperiora planè teſtantur.

20 Sicca folia, puluiſculus item & paleæ, aut res quæuis alię, turbinatim per aërem motæ, pro pluuijs teſtimonia cſt alijs cumulant: maximè ſi Auſtrum ventus tenuerit.

21 Floreta inſolito modo ad longiorem diſtantiam ſuos odores ſereno cœlo ſuauiter iaculentia, nihil diuerſum à iam dictis, iuxta noſtras, & multornm obſeruationes, ponunt.

22 Oſſa aliquando luxata, fracta, vel alio

alio quouis modo læſa: adhæc antiqua vulnera recurrentibus doloribus, miſeros mortales, ſine cauſa manifeſta, ſolito atrociùs fatigantia, pluuiæ indiciũ eſſe, cũ libris docet experiẽtia ſcriptis omnibus potior: cui te malle credere arbitror, quàm mala tãta pati.

23 Cephalalgiæ, aut hemicraniæ, & periodico, inueteratóve capitis dolori obnoxij: præterea, arthritide, & quacunque hernia obſeſsi, ſolitò infenſiùs ſe vexari ſi ſenſerint, aut labores periodon anteuertere, aërem in pluuias ſeſe aptare, hinc certò colligunt: modò aliunde peccatum non ſit.

24 Ingruente procella, aut pluuioſa tempeſtate, volucrum agmina ex inſulis, vbi degere maximè cõſueuerãt, ſæpe in media arua turmatim conuolaſſe, obſeruatum eſt.

25 Si aues quæ ad ſtagnantes aquas, aut fluentes habitant, diu & multùm non procul à ripis.

Certatim largos humeris infũdere rores
& caput obiectare fretis et currere ĩ vndas
Ac ſtudio in caſſum cernes geſtare lauãdi,
Certus aquam metues.

Si

26 Si aues in arboribus nidulantes, intempestiuè propria cubilia, & solitas sedes gregatim petiuerint, pluuiam breui adfuturum, vel tempestatem nũtiabunt, quemadmodum adnotauit prisca rusticorum philosophia.

27 Si videbis aues in aquis parum aut nihil degere assuetas, ad riuulorũ & fluminum, fontiũmve crepidines plumas vellicare, instantium pluuiarum memor eris.

28 Gallinaceus Gallus, paulò post Solis occasum, vel primis noctis horis statim à vespertino crepusculo, in raucisonum cucuritum, crebro alarum motu insolenter prorumpens, superioribus per omnia concinit.

29 Gallinacei pulli, imò verò Galli & Gallinæ, ac reliquæ ferè volucres omnes, rostro, aut vnguibus plumas assiduè vellicantes, seque humi præter modum saburrantes, pluuiæ non dubia exhibent spectacula.

30 Si Gallinæ cum suis Gallis, initiante pluuia, in locum stillicidiis minimè obnoxium de mediis aruis conuene-

uenerint: aut proprium tectulum (tempus præcurrentes) confeſtim adiuerint: præterea ſi manè ad paſtum tardiſsimè prodierint, ingentes imbres aut præſentis pluuiæ duratione præ-nuntiabunt.

31 Si picturatos Pauones, noctu vocem efferatam, & inſolenter clangoſam congeminare audies, pluuias propinquas eſſe cogitabis.

32 Latipedes Anates ſereno cœlo cumulatim congredi, & alteram volatu ſupra alteram ferri ſi videbis : adhæc, inſolita perturbatione, clamoréque moueri (niſi fortaſſe propter ſeparationem ab alijs) pluuiam, vel tempeſtatem expectabis.

33 Anſeres valido clangore ad paſtum feſtinantes, ſéque graui alarum motu, & frequenti attritu, aquis placidè merſantes, præterea garritu inſolito perſtrepētes, pluuias prȩſagire (modò aqua illis antea negata non fuiſſet) ſicut adnotarunt antiqui, ita nos ſæpe numero ſumus experti.

34 Clangentes aëriæ Grues, & præ-

uia.

uia nubila pinnis alarum ſcindentes, venientium pluuiarũ fidem cum aliȷs, & faciunt & vehementer augent.
35 Grues ab imis vallibus fugientes, & volatum humilem obliquè tenentes, eúmque in locum vnde euolarũt, ſæpe reuolantes, pluuioſæ tempeſtatis, & hybernæ conſtitutionis præcones eſſe perhibentur.
36 Dum circa paludes, vel alias aquas, arguta frequens volitabit Hirundo, ventre vndas in caſſum radens & euerberans, pluuiam, aut tempeſtatem proximam eſſe indicabit.
37 Si hac & illac volitans Hirundo, parietibus ſubinde hærebit, vel humilis vſq; adeò feretur, vt pedibus humũ verrere ſéque puluerare videatur, idẽ quod antea commonſtrabit.
38 Coruorum & Graculorũ greges. turmatim Accipitrum inſtar clamantes, ſurgentis pluuiæ ſigna habent.
39 Corui de arbore pẽduli, alas ſępe numero motitantes, humidæ tempeſtatis nuntiȷ, antiquis ſemper fuerunt.
40 A ſolito paſtu diſcedẽs agmine magno
Cor-

Coruorũ densis crepitat si exercitus alis
At quemodũ fugiẽs rara dulcedine lætus
Inter se foliis strepitat, minitabĩt vndas.
41 Corui raucum crocitantes,& vocem identidem resorbentes: vel vt habet Plinius, cum singultu quodam diu & multum latrantes, pluuiam aut pro ea tempestatem hariolantur.
42 Si Coruorum, vti etiã aliarum auium alę inter volandum, sonitum ab assueto alienum fecerint, pluuiam nõ procul abesse testabuntur.
43 Graculi in domorum tectis,& coronidibus, aut alibi, solitariè residentes: & alos modo insueto quatientes, vellicatímque explumantes: prętereà à pastu serò redeuntes, adfuturas pluuias ob oculos ponunt.
44 **Si in sicca Cornix sola exspatiatur arena**
Hánc que gradulento metitur: vel caput vndis obiectat querulum.
Adhæc, si frequens ad vndas impatienter cornicabitur, humidam tempestatem instare præsagit & demõstrat.
45 Cornices supra petram vndequa que irriguam garrientes, & se aquis sub-

ſubinde merſantes, non dubia venientis pluuiæ teſtimonia exhibent.
46 Halcyone cum ſobole tepidũ ad Solem pennas in littore expandens, ſuum pro pluuia cum alijs calculum, etiam hîc addiicit.
47 Acredula vocibus crebris, & cãtibus indefeſsis matituno tẽpore militans, aduentantem pluuiam in ore habet.
48 Monedulæ per auſtralem ventũ, aut alium quemuis, multùm atq; diu, perturbatè inuicem vociferantes: & Paſſeres matutinis horis admodũ pipientes, vẽturas pluuias vt præſentiſcere traduntur, ita quotidie probãtur.
49 Auiculæ cuiuſcunque generis, mare quaſi viſo monſtro, fugientes, pluuiæ vel tempeſtatis veſtigia in aëre impreſſa ſpectantium oculis admouere ſolent.
50 Lucifuga Noctua, veſpertino crepuſculo de ſuis luſtris citiùs quàm cõſueuit egrediens, & hinc inde errando plurimùm cucubans, pluuiarum certiſsima præſagia ponit & excitat.

Ardea

51 Ardea notas paludes, admodum quærula & clamoſa effugiés, mediiſq; in aruis triſtis reſidens, aut ſupra altã nubem volitans, futuram pluuiam, & tempeſtates ſignificare traditur.

52 Si Picus auis Martia, quæ & pluuiæ auis antiquis dicta eſt, validiùs quàm pro more, ſtridere obſeruabitur certò imbres indicabit.

53 Cùm medio celeres reuolant ex æquore Mergi:
Clamorémque ferunt ad littora: cúmq; marinæ.
In ſicco ludunt fulicę: tibi tẽpora ſignent
In feſto pluuiis, & tempeſtate ſonora.

54 Regulus auicula, motu inſolito & cantu, ſed tamen ſuaui, geſtiens. Adhæc, Rubeta antiquas macerias, & excauatas arbores, inhoſpitáſque domos ſubiens, pluuiam mox adfuturam pollicetur.

55 Columbi ad ſuum περιστερῶνα tardè redeuntes, & Gallinæ à paſtu ſolitum remigrandi tempus pręuertẽtes, ſéque ad dumeta, aut tecta: nullo abigente confeſtim recipientes, ſigna propinquæ pluuiæ ſecum referunt.

56 Si Muſcæ & Pulices ſummã corporis cuticulã ſolitò infenſiùs ſua proboſcide vellicabũt, hominúmq; ac iumentorum faciem & oculos ſæpius abactæ, cæſim (quod dicunt)& punctim recurrentes appetent,breui venturas pluuias nunciabunt.
57 Veſpæ multis in locis ante veſpertinum Vergiliarum exortum, ſubterraneas ſpecus glomeratim ingredientes, pluuioſam hyemem , & frigidam præſagiunt, vti etiam muſcæ.
58 Apes prope ſua aluearia , floſculos ad mellificium ſedulò excerpẽtes, tempeſtuoſam ac pluuiam auræ cõſtitutionem augurantur.
59 Capræ initæ , vti etiam Aſinæ, ſi rurſum iniri expetã,pluuiam, ac hyemalem aërem longiorem ſignificant.
60 Capræ,tã arborũ, quàm fruticũ, & ſuffruticũ ramuſculos , ſtolonéſve ſolitò auidius carptim derodentes : ac nullo valente verbo,& verbere,ad vineta, vel aliò(licet nõ impune) proficiſcentes, pluuiarum aut tempeſtatis præſagia , intelligentes certò ob oculos

los

los ponunt.
61 Si videbis Oues, veniẽte hespero, dum ad suas caulas aguntur, herbas magna auiditate per viam depascere, & ab his nullo clamore, vel ictu diuelli posse, idem quod antea augurari existimabis.
62 Fæminę Oues, fœminę itẽ Sues, maribus admissis catulientes, & Venerem nequidquam promiscué confundentes, hyemalem tempestatem pro foribus adesse monent.
63 Si animalium greges, pede vel rostro terram diu effoderint, & capita ad Boream extulerint, magnam hyemẽ cum pluuia prænuntiabunt.
64 Arietes Oues & Agni inuicem arietantes, & corniculatim cõfligẽtes, adhæc, calces inuicẽ subsultim incutientes, humidã tempestatẽ significant.
65 Catus, seu felis, Gręcè αἴλουρος nũcupatus, si pedum priorum illinctu, caput cum inter scapulio, pectinantis in modũ, & abluentis diutissimè palpauerit, pluuias ingruere haud ineptè cõmonstrabit. Quod tametsi vetularum
delira-

deliramenta recipere videatur, veriſsi mũ nihilominus eſſe, experiũdo dices.

66 Si canũ ventres, borborygmos & murmurilla edere percipies, aut humum pedibus nõ oſcitanter ſcalpere, ſibiq́ne ſcrobem effodere, eadem quæ pręcedẽtia ſignificari, tibi perſuadebis.

67 Si Aſelli, aut Muli, diu multúmque & caput & auriculas abſque præſente cauſa motitabunt, pluuiam adfuturam prænuntiabunt.

68 Quoties per auſtrinam cœli conſtitutionem videbis Aſinos, Mulos, Equos vel Canes, ſe per puluerulentum ſolum diu voluere, & reuoluere: ſuáque dorſa, arboribus, lapidibus, aut alibi ſedulò ac ſepe affricare, toties pluuiam in via eſſe cogitabis.

99 Boues naribus patulis auras ſæpe captantes, & cœlum quaſi emulgendo olfacientes, humidam aëris conſtitutionem proforibus adeſſe, antiquos admonuerunt.

70 Si Boues cum inſolito mugitu, ad ſtabula ſub veſperã triſtes proficiſcentur; & Vitulæ præter modũ ſalientes,

(ab-

ſente ſtimulo) aſsiduè vitulabuntur, tempeſtatem intra paucos dies, abſq; dubio, deorſum graſſaturam, veluti de pictura quadam repræſentabunt.

71 Boues, poſteriorum pedũ vngulas, & pilos, parte aduerſa diu & multùm circumlingentes. Adhæc, in ſtabulis ſuper dextro latere, omnes ex æquo decumbentes, ſi veræ ſunt priſcorum, recentiorúmque obſeruationes, bubulcos ſuos, vt à pluuioſa tempeſtate ſibi caueant, naturali præſagio hactenus docuerunt.

72 Buculæ acſi lymphatæ eſſent, vel Oeſtro percitę, cum equis, aut alterius armẽti animalibus. ἄνω κάτω (quod Græci dicunt) curſitantes, ſurgentem pluuiam quaſi digito indicant.

73 Sues ſolutos farris, aut fœni manipulos, ore ſúſque déque miſcentes, & perinde ac ſi rabie exagitarentur, curſim diſpergentes, nihil à ſuperioribus diuerſum teſtantur.

74 Lupus ſolus ab alijs, altùm ſæpe, horendúmque vlulans, & ad humiles paſtorum caſas, agricolarúmque

opera parum cautus frequenter accedens: ante tertiam auroram, grauem cum pluuiis tempeſtatem adfuturam innuet, ac præ ſe fert.

75 Mures cũ ſoricibus, præter modũ pipientes & acutè ſubſibilãtes: ſaltitãdóq; de ſuis latibuiis gregatim proſilientes: & ex conculcatis ſtraminibus, lectulos ſibi ſternentes, ſine pluuiarũ ſignificatione antiquis habiti nõ ſunt.

76 Si Mures ſitiẽtes, ad domorum tecta turmatim aſcederint, aërem ſe iam iam ad pluuias cõponere teſtabuntur.

77 Si Talpæ oculis capti, cubilia ſolito altiora, & numeroſiora ſibi cumulatim effoderint, pluuiam expectandã, non temere quemuis admonuerint.

78 Si videbis Scolopendras multipedes vermiculos, rerum agri ſcriptoribus cõuolutos, Gazę Centipedes nũcupatos, cõfertim per muros ſerpere, reptaréque, pluuiam aut hyemalem tempeſtatem ſeriò formidabis.

79 Quandocunq; antiqui obſeruarũt Vermes, quos Lumbricos, terræ inteſtina dicunt, humum quaſi terebello

paſsim

paſsim pertundere, & foras affatim e-
rumpere, idem cum ſuperioribus illos
præſagire, & denotare exiſtimauerũt.
80 Bufones proſiliẽtes ex ſuis luſtris
numeroſiores, ac tumidiores ſolitò, aẽ-
rias humiditates vẽturas ponũt in apto
81 Si formicę laborum patientiſsimę,
è ſuis myrmicijs oua certatim extule-
rint, retulerintque: aut ſemina ſub dio
reſiccanda expoſuerunt, pluuiam vel
tempeſtatem breui terras ſalutaturam
indicabunt.
82 Signa alia permulta facilé colliges
de ventorum, tempeſtatùmque ſignis:
& quæ his admodum affinia ſunt, ni-
uis grandinis ac ſimilium. Inſuper de
oppoſitis, qualia ſunt ſerenitatis ſigna:
habita vbique ratione locorum, & par
tium anni, necnon configurationnm
Lunæ ad Solem & Planetas: addito
præterea fixarum Stellarum quæ in-
ſigniores habentur coſmico exortu,
& acronycho occaſu. Cautiones alias
dabunt noſtra Prolegomena ad rerum
naturæ Candidatos, quæ ante iuditia
ex ſignis conquiſita, ſæpe tibi ſunt le-

genda,& circunſpectè excutiēda. Verùm enimuero, antequam manum de hac tabula (vt dicunt) tollam, pretium operæ facturum me arbirtor, ſi paucis paucula tibi propoſuero. Itaque, quo ties vigentem: diocri aëris caliditate, aut frigiditate, pluuiæ ſigna multa eáquæ valida obſeruabis, humiditatem aëris in ea ipſa regione proximam eſſe certò pronuntiabis. Si cum inſigni frigore, niuem aut grandinē. Quòd ſi pauca aderunt ſigna cum debili calore, rorem, nebulas, vel obſcuritatem aëris, opportuno tempore & loco, pro pluuia prædicere nihil dubitabis: Si vehemens regnabit frigiditas, præualebitq; ſignorum pluuiæ turba, pruinā & grandinem in via eſſe, tutò commonere poteris. Sed hæc in præſentiarū ſatis. Quæ minùs accuratè curata qui dicet, curioſiùs ſi curabit, non ſolùm curā, ſibi procurabit, ſed & nobis rem ſummè gratam cumulabit. Hæc habebam de ſignis pluuiæ quæ dicerem: iam ad illius naturam, effectus, & item alias, noſter conuertatur ſermo.

Plu-

PLVVIÆ NATVRA, differentiæ, accidentia, effectus, & alia.

CAlente qui nos ambit aëre, pluuiarum guttas magnas cõfertim cadere, nemo eſt, qui non videat. Quòd tunc frigus ad mediam aëris regionem per antiperiſtaſin depulſum, geminatúmque, ſubtepidi vaporis, vi Solis ſurſum ad fingendam nubem delati, particulas ſicuti illico intercipit, ita craſsiuſculè addenſatas præ pondere, collectim ac cumulatè deorſum redire cogit.

2 Per æſtum & ardores, pluuiarum guttæ magnæ, &, vt dictum eſt, calidæ (ſaltem attactu) apparere plurimùm ſolent. Nimirum quòd impetu valido & motu cito, ac violento, qui calorem conciliat, deorſum confertim labantur. Quibus accerſes quæ ſuperiori Aphoriſ. adſcripſimus.

3 Guttarum pluuialium magnitudo & paruitas à calidiori nube vel frigidiore oboriri ſolet. Nam calidior nu-

bes,quia frigori (perinde atque aqua tepida)ingressum facilem vndecũ que rarefacta præbet, in maiorss guttas promptissimè conuerti apta est. Frigidior,quia densiuscula, & cõpacta magis,frigidati aëris vsque adeò non patet: nec intus, vt sic dicam , & in cute fingéti,sese tractabilem exhibet. Quapropter guttas maiores,& in se cõpactiores,stillare plurimùm consueuit.

4 Pluuia diutiùs durat, & fit magis cõtinua, quã nix & grãdo,licet ex eadẽ sint materia. Idq; propter obedientiã & facilitatem sublationis. Vnde vapor sursum perlatus, à cõsequenter elato vapore,mutatur ac reparatur, fitq; vt pluuia præcedens,sequentis materia sit. Nam ex priùs illapsa, tellus madescit,quæ rursum à Solis calore in halitum digeritur : ac sursum trahitur ad nouæ pluuiæ generationem.

5 Vere medio, Æstate,& sub Autumni principia (dũ aër aut tepet, aut calet)pluuiarũ guttæ magnæ,& frequẽtes subinde nobis fiunt:prcsertim lucẽte Sole:de cuius splẽdore guttas instar

voli-

volitátium per inane ſtellularũ cadere, obſeruatũ eſt: quę ingétes & procelloſas pluuias præcurrere plerũq; ſolent, quia de vaporibus calidis frigori viã (vt dictum eſt) præbentibus emergũt.

6 Pluuia quantò maioribus guttis decidit, tantò propius gigni exiſtimatur: quantò minoribus & rotundioribus, eò remotius, pro materiæ ſubtilioris, craſsioriſve diuerſitate multiplici quod ad niuem & grandinem (ſi videbitur) etiam detorquebis.

7 Poſt intenſiſsimum & diuturnũ calorẽ, ingentes pluuias & lõgas contingere, ſæpenumero obſeruatũ eſt: rerũ quadam viciſsitudine, & reuocato in ſuam harmoniam cum tellure cœlo.

8 Nullum anni tempus á pluuia nobis immune eſſe ſolet. Nam quacunq; anni tẽpeſtate ab aquoſis corporibus humiduli habitus (pluuiarũ materia) ſurſum vi cœli rapi, & in nubem cogi poſſunt: magis, minùs, pro partiũ anni conſtitutione, locorum natura, & præſenti cœli, necnõ ventorum ſtatu.

10 De ſanguinis, lapidum, carnis, &

rerum aliarum pluuia, hiſtorias habes apud Liuiũ, & alios quàm plurimas: cauſas apud Albertum: qui cum pluuia (fortaſſe & tonitru) maſſam ferri centum librarum pondo ex nubibus decidiſſe ac Auicennam inter medicos principem, ſpectaculo illius interfuiſſe, author eſt: ex qua præſtantiſsimi gladij poſtea fabricati fuerunt. Sed fides, vt de lapſo per pluuias Vitulo, penes ſuum authorem, per me (quantùm voles) tibi ſtabit.

11 Quia è lacubus, ſtagnis, & paludibus craſsi vapores ad pluuiarum conſtitutionem ſurſum tolluntur: idcirco piſſciculos & ranunculos, aliáq; huius plumæ animalia (quorũ ſemina cum humido habitu agente cœlo ſurſum aſcenderunt) cum pluuia deſcendere nõ eſt quod mirentur ἀφιλόσοφοι Cauſas alias dabunt Μετεωρόγραφοι.

12 Quia vi Solis & ſtellarum, pluuiæ materia ſurſùm nnonunq; excoquitur & ſuperaſſarũtur: vel de rubricatis locis aquoſis exhauritur: aut de viſcido & penè dixerim mucilagineo vapore adhuc

adhuc crudo fit: ideo colorẽ rubrũ & quandoque lacteum induit: aliàs lapidescit. Quæ res falsam permultis phãtasiam præbuit, quòd sanguine, lacte, & lapidibus aliquãdo pluerit Iuppiter.

13 Cœlum cum vaporibus lanuginẽ & leuiuscula quædam corporam sursum plerunq; attollit: que cum pluuia quandoq; decidunt: & indoctæ, credulæq; plebeculæ miracula excitant.

14 Cum pluuia, terreas glebas, arenam item, & similia cadere, nihil mirum esse debet: nam à montium iugis ventorum impetu illa sursum mitti (vt causas alias reticeam) extra naturam non est.

14 Carnem, cæmentum, & lutum cũ aqua pluuia deorsum labi posse, multi absurdum non existimant: quòd præpinguis crassáque vaporum materia, à Solis & stellarũ radijs, diu multúmque subactu, pulsata, & penè dixerim torrefacta, duriciem facilè contrahat: & hanc vel illam formẽ haudquaquam obstinatè admittat.

15 Pluuij vapores propterea quòd ter-

restre nescio quid habent, & è mari magna ex parte hauriuntur: necnon à Sole & stellis sursum fermentantur: idcirco pluuia quæ ex his coalescit, salsa nõnunquã apparet. Et quia vaporibus elemẽta quatuor, virtute insunt, fit plerunque vt diuersa animalcula pluuiis remisceri, & concurrente cœlestium corporum energeia, sursum fabricari, deorsúmque cadere deprehendantur.

16 Conueniunt pluuia, nix, ros, pruina & grando, quòd per infrigidationem fiant: differunt eiusdem paucitate, multitudine, loci distantia, colore, & figura.

17 Pluuiæ mites & suaues, magis prosunt plantis, quàm violente & ingentes: quia rori sunt simillimæ: & paulatim sese telluri insinuant, diutissimèq; fouent ac madefaciunt.

18 Pluuiæ serotinæ hisce arboribus vtiles sunt, quæ fructus suos diutiùs continẽt, & lõgiores cibos desyderãt.

19 Pluuiis & aquis fruuntur magis sata quàm arbores, auferente statim

cas,

eas, & è ſublimi diripiente Sole.
20 Si Pluuia conſequentibus annis aliquot per hyemem ceſſabit, mori periclitabũtur arbores. Ergo qui ſcripſit hyemes optate ſerenas agricolæ, pro arboribus vota non fecit.
21 Pluuia, ventus & grando, coruſcationem cum tonitru ſecum ſæpenumero admittunt, nix non item. Hinc fit vt ſine his, præſentibus ſaltem, vel breui adfuturis, tonitru ægrè contingere videas: ſed de his in ſequentibus.
22 Pluuia reſiccationẽ quæ eſt à vento impedit, ſolétq; ætaſte per noctem frequentior hîc eſſe, quàm per diem.
23 Pluuia ſiccitatem & ſerenitatem nullo modo patitur: quanquam poteſt vna aut altera poſt pluuiam hora, opportuno tmpore & loco ſerena eſſe.

Pluuiæ Hyeme & Vere, ſolenniores crebrioréſque nobis ſunt, quàm Æſtate & initiante Autumno.
24 Aqua pluuiæ quòd dulcis nonnunquam ſit & limpida, id habet ab humido aërio remiſto: quòd amara, à terreo ſicco & aduſto. Nam cũ aqueis

fumis, terrestres vapores socios sese plerunque adhibere, certum est.
25 Matutina pluuia & vespertina, vt rorem præpedire excludereréque plurimùm solet: ita caliginem respuere: quæ serenitatis nuntia plerunque est, vti mox dicemus.
26 Pluere circa Vergilias, & per Solstitia, vitibus inimicum esse adnotarunt rerum agri scriptores.
27 Pluuia caliditatem vehementem, & frigus perualidum comites rarò sibi asciscit. Nam vtrunque vel remittit, vel penitus abolet.
28 Magnæ pluuiarum guttæ & crassiusculæ, per calidam anni tempestattem in subtepida nube & aquosa, à circunstante mediæ regionis aëris valida frigiditate: vti grando, fieri solet: sed nubes pluuia, de aëro plus habet, quàm grandinosa: nec fit frigiditate ad vnum locum expulsa: vt grando, sed quasi abundante.
29 Pluuia magis humectat illa quæ plagam à qua spirauerit ventus prospectant, quàm quæ ab ea recedunt.

30 Pluuia ex omnibus, gelu & niuem compeſcere, pruinámque aëre ſolet piurimùm.
31 Pluuiis multis perlabentibus, loca quæ in exceſſu arida erant & inculta, infuſa humiditate ſuis colonis manſuetiora reddi, nemo non videt.
32 Quemadmodum in pluuioſa anni cõſtitutione mõtes & cum pratis ſyluę fertiliores euadunt, ita fœcunditate laſciuiunt omnia, fiúntque habitiora: ſed tamen corcuptioni obnoxia magis: etiam ante iuſtam maturiatatẽ, & illis dictum legitimum repoſitionis tempus, nedum poſt.
33 Vulgò dici ſolet, quò die Dominico circa nonam ante meridiem in quacunque anni tempeſtate ſi pluerit, maior ſeptimanæ illius pars pluuiis deſtinabitur. Quod tametſi abſurdum videtur, experientia nihilominus tibi probatiſsimum euadet.
34 Tradit ruſticorũ philoſophia, quod pluuia die ſabbathi excitata, nunquã aut raro diẽ Lunæ prætergredi ſolet.
35 Habet vulgus, quòd ſi Luna in

fratris amplexum prorumpens, die Martis diſparebit, pluuioſa præter alias apprimè erit. Quod an verum ſit necne, experiẽtiam rerum magiſtram poſthac conſules.

36 Per diuturnas pluuias & vaporoſum cœlũ, ſorices, ranę, bufones, pulices, erucę, pedunculi, cimices, in ſumma, animalia ex putredine naſcentia, vel in ea gaudentia abundare vbique ſolent: pro ſoli & partis anni natura.

37 In pluuiarum multitudine, morbi ex Hippocrate magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putredines morbi comitiales, applexiæ, anginæ, catarrhi & ſimiles.

38 Ære pluuiis ſuperfluis ſcatente, terræ ſemina (vti etiam arborei fœtus) præfocari periclitantur: ferrum rubigine conficitur, imbecilla vina aceſcũt & corpora (ſaltem parata) corruptionem facilè agnoſcunt. Vnde rectè admodum ſcripſiſſe mihi videtur bonorum omniũ nobis author Hippocrates, ſiccitates imbribus meliores eſſe.

38 Impetuoſæ pluuiæ & vehementes

tes, plantis non admodum conueniunt: propterea quòd plurimùm habẽt frigiditatis ab aërea nube expulsæ: cuius qualitas est perimẽs. Addes quòd etiam radices inebriant, ac perdunt iugiter labentes pluuiæ.

40 Pluuiæ suaues, & sine violentia descendentes, quia illis plus calidi spiritus, quàm frigidi inest, fiúntque rori similes, idcirco plantis expetuntur, nam irrorant potiùs, quám mergant, aut inebrient.

SICCITATIS ET SErenitatis Aeris descriptio.

SERENITAS hîc nobis describitur, à pluuiis & humidis aëris constitutionibus immunitas: etiam si euanidæ nubes, vel exigui venti per cœlum deerrabunt: qualiter vsurpauit. Maro hoc hemistico:

Hyemes optate serenas
Agricolæ. &c.

Signa

SIGNA SICCITATIS ET serenitatis aëris, ab his quæ in cœlo, aëre, aqua, & terra palam apparent.

Cœlum.



OL tibi ſigna dabit. Solē quis dicere falſum
Audeat? vt magnimuſa Maronis habet.

Ille itaque ſi in exortu ſuo, caliginis nubiúmque & varietatis expers erit, hoc eſt, purus, vnicolor, & vbique ſimplex apparebit: diem eam ſerenam cum ſua nocte, certo tibi aduehet.

2 Si poſtmeridianus Sol, blando fulgore innubilus occumbet, purum habens veſpertinum cœlum: ſubſequentem auroram, eámque ſerenam noctem dabit.

3 Reuiſcente hemiſphærium noſtrũ matutino Sole, ſi aër perſpicua, tenuique albedine illuſtrabitur, ſerenitatem ſpondebit,

Flu-

4 Fluxu veſpero deſcendente, abeuntéque Sole, ſi vicinæ nubes ſparſim rubicundæ, raræq́; comparebunt: noctem & qui ſectabitur illam, expperiere diem nitidum.
5 Quoties Sol lympidus & minimũ feruens ſeſe ſub Horizontem proripuit, poſtrideique ſimilem dedit exortum, toties certiſsima ſerenitatis teſtimonia commonſtrauit.
6 Si ſolares radij marceſcentibus ſimiles (quemadmodum fieri ſolet, dum Luna terræ & Solis ex directo ſtans, illos obumbrat) ſub auroram nubes obſcurè purpuraſcentes, aut croceas nõ viderint, arida per diem illlum arua indicabunt.
7 Si magnus orbis vt nubula paulatim flacceſcens, circa exorientẽ Solem dilatabitur, repentéque decreſcet, die illo ſerenitatis indigus non eris.
8 Sole, matutino emerſu mundum ſalutante, nubes per Horizontem rareſcere, vel à ſolaribus radijs diſsipatim vaneſcere ſi videbis, ſereni aëris præſentiſsimum ſignum habebis.

Circa

9 Circa emergentis Solis, vel cadentis auream imaginem, caligo leuicula, aut aërea nebula apparens, tempus serenum (si modò vera fuit nebula) semper nuntiauit.
10 Sol post pluuias igneus occumbens, aut subpurpuream faciem præse ferens, sequentem lucem humiditatum expertem, antiquis significauit.
11 Sole in oriẽtali tractu degente: Iris ad occasum visa serenitatis, & nonnũquam pluuiarum leuissimarum testis esse, mihi sæpenumero obseruata fuit.
12 Versante supra Horizontem Sole, Irides (qua parte nox humida cœlo præcipitat) per tempestatẽ visę, serenitatem indubitatam spondent: ad Orientalem verò tractum, dubiã. Quod de librorum fide tametsi certum esse constat, tute nihilomrnus etiam de experientia constanter obfirmabis.
13 Si Sol ad eam mũdi regionẽ vnde spirat ventus, recedet: aut in qua est, vel mox proficiscetur, insurgent flatus, serenitatem, nisi falsę sunt antiquorum obseruationes, certò promittit.

Luna

14 Luna tertia, vel (vt dictũ est) quarta, tenui puráque luce & subtili nitescẽs, hoc est, syncerũ lumẽ nullis interiectis effumationibus pręse gerẽs, serenitatẽ haud quaquã dubiam ostentat.

15 Si Luna recens, virgineo splendore suffusa cornua sursum emiserit: aut in plenilunio, vel dum semicircularis lucet, pura erit, serenitati iacta esse fundamenta admonebit.

16 Si Luna falcatam sui corporis abscisionem, corniculo vtroque acuminato, admodum argenteam obiectabit, serenitatis præsaga habebitur.

17 Si area, aut corona, Græcis ἅλως dicta, vna & simplex circa Lunam, absque vlla interruptione, paulatim vanescere deprehendetur serenitatem protendet: cui signo tanquã vero perpetuò adhæserunt antiqui.

18 Si Luna in exortu quarto (nanque is, vt est apud Virgilium, certissimus author.)

Pura, nec obtusis per cœlũ cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluuia ventisque carebit.

19 Circuli candiduli, vel ſubpurpurei, circa planetas, aut fixas ſtellas viſi, ſerenitatē, & quandoque ventos, rerum aëriarum obſeruatoribus ſignificaſſe traduntur.

20 Stellæ blando fulgore ſcintillantes (etiamſi perreptantibus niueis nubeculis, cœlum alicubi obducetur) ſuperioribus, pro ſerenitate ſuum adijciunt calculum.

21 Lacteus in cælo tractus (quem noſtri, ſancti Iacobi viam, Gręci, γαλαξίαμ dicunt) perſpicuus, & quoad eius fieri poteſt nitidus apparens, ſerenitatis teſtimonia confirmat.

22 Crinitæ ſtellæ (vt etiam traiectiones) diu ſub ingenti corpore micare viſæ, ſquallorem & ſiccitates prænunciant. In quibus, quia ſecundus Cometographiæ noſtræ liber totus eſt verbum non amplius addam.

AER.

23 Coruſcationes ſub veſpertinum crepuſculum, abſque tonitru & nubibus, per Horizontem frequenter vibratæ, ſerenitatem indicant.

Si vi-

24 Si videbis nubes veluti plumeas, & lanarum flocculis, aut candidis velleribus ſimillimas, per aërem, alto iam Sole diſpergi ac volitare, ſerenitatem in via eſſe tibi ſpondebis.
25 Si nubeculas hincinde per Horizontem emergentes, è veſtigio tabeſcere, veneſceréque proſpectabis: cœlũ (ventorum carcere clauſo) ſerenã auram promittere certus eris.
26 In pluuioſa tempeſtate nubium oborta diſgregatio quæ prius nõ erat, ſerenitatis ſpem aliquam oſtentat: maximè ſi ab ea Horizontis parte vnde exiliunt flatus, continget.
27 Ab ortu, occaſum verſus, nubium matutina aut veſpertina propulſatio, agente vento obſeruata, ſiccam, ſerenámquea ëris conſtitutionem mihi plerunque commonſtrauit.
28 Nubes in æquore, vel alibi, prædenſa apparens, & aquas propemodũ attingens, ſi in ſublime fruſtulatim direpta attolletur: ſerenitatẽ (niſi omnino mentiuntur antiqui) præunutiabit.
29 Nubes raræ & de ſuperficie tantùm

tùm liuidulæ, in pluuioſo cœli ſtatu, quia vaporum reſolutionem paulatim fieri teſtantur, ſerenitatis augures eſſe plurimùm ſolent.

30 Parua caligo, (vel potius nebula) Vere, & Autumno, cum aurora frigidula, exurgente Sole, peſſum abiens: adhæc circa aquas, paludes, aut prata matutinus fumus apparens: diuerſum à ſuperioribus ponit nihil.

31 Nebulæ montiũ ima, potiùs quàm iuga obſidentes, vel in mediis campis humiles poſtratæ, eandem omnino cantilenam cum iam dictis occinunt.

32 Ros manè aut veſperi, in quacunque anni parte plurimus deſcendens, ſerenitatis præco fidiſsimus hactenus eſt habitus.

33 Splendor per pluuioſum auræ ſtatum ad Boream elucens, ſereni cœli (etiam ſi ad Auſtrum nubes coacta fuerit) ſignum appingit.

34 Aurora Æſtate ſolito frigidior emergens, cum nubibus ab exortu occaſum verſus tendentibus, ſerenitatẽ perinde nuntiat, ac ſi ſub veſperã cœ-

lum

lum rubeſcere deprehenderetur.

35 Boreas validè ſpirans, tametſi nubes multas cogit, nihilominus ſerenitatem (ſaltem apud nos) aduehere plurimùm conſueuit.

36 Si ad Horizontem, tonitru abſente, coruſcabit, nulla nube ibi aut alibi ꝑcepta, ſerenitatē ī via eſſe moneberis.

A Q V A.

37 Serenum aërem & tranquillum ſperare minimè licet, dum mare longè á littoribus, ſonos edit validos: aut littora ipſa ſolito plus perſonant, fremunt ac murmurant.

38 Littora abſque arenoſis ſulcis plana, Auſtrum pluuiarū nutritium quieuiſſe: & proinde ſerenitatem pro foribus ſtare oſtendunt.

39 Nebula circa mare, flumina, prata, & loca ſubaquoſa, veluti in planiciem depreſſa, idem quod nunc nuper teſtatur.

T E R R A.

40 Montes prærupti, in iudiciis aëris ſuam contemplationem, ſuáque prognoſtica ſuſtinētes, puros vertices

ſi habebunt:ſuffragium iam dictis pro pluuia non denegabunt.

41 Lucernæ flammula (etiã per pluuias)quieta, & nullo ſtridore quærula, futuræ ſerenitatis non obſcurum cum ſuperioribus habet teſtimonium.

42 Noctua poſt Solis occaſum frequens viſa,& Halcyon cum ſua ſobole (Solem veluti exoſa) vmbras captans,ſerenitati ſubſcribit.

43 Corui parum crocitantes , & lætantium in morem,congreſſu turmatim facto,liberiùs volitantes, ſereni aëris præcones eſſe ducuntur.

44 Coruos ſub nocturnum crepuſculum gregatim verſari ſi videbis : & dum ſeparantur, ſummè crociendo, dulces inuiſere nidos: idem quod antea præſagire exiſtimabis.

45 Corui contra Solem hiantes , & manè per arborum ramos plumas poſt pluuiam dilatantes, nihil diuerſom exhibent.

46 Cornix,emergẽte Heſpero, querulam vocem ſubinde varians, marceſcentis tempeſtatis (vt manè ſereni-

tatis)

tis) ſignum dare, obſeruationibus mul tis comprobatur.
47 Nocturna noctua poſt Solis occaſum in tempeſtate blandè cucubans, ſerenam auram adfuturam ſpondet. Querula verò in ſerenitate, tẽpeſtatem
48 Ichthyophagæ aues, tam lacuſtres quàm fluuiales, & marinæ, die tota procul ab aquarum crepidinibns viſæ, pro pluuia ſerenitatem oſtẽdunt.
49 Sylueſtres columbi inſolenter can tillãtes, & Miluij dum ſublime petunt inuicem colludentes, ſereni vulgò haberi ſolent.
50 Veſpertiliones ex ſuis fornicibus (dum nigras labens Sol aduehit vmbras) prodeuntes, & numeroſiore quàm conſueueruut agmine volitantes ſerenitatem augurãtur, Quòd etiã ad Scarabeos & crabrones detorquẽt.
51 Grues tacitum, ſecurúmque volatũ gregatim exercere ſi videbis, nec ilico pedem referre, blandam ſerenitatem (nã tempeſtatis exceſſum ægerrimè ſuſtinẽt) nunciare hinc cogitabis.
52 Paruulæ Muſcæ, ſub Solis occa-

ſum, pyramidis aut globuli in modũ, nõ procul à terra coactę, lõgis obſeruationibus ſerenitatis teſtes eſſe cẽſentur
53 Poſt pluuias, vel vdum cœlum, caligo per aërem ſparſa, ſerenitatis certum prognoſticon antiquis exhibuit. Reliqua ſereni aëris teſtimonia de priuatione, vel contrariis ſignis facilè excipies: qualia ſunt humidarum auræ conſtitutionum prognoſtica. Adhæc niuis, roris, grãdinis, tonitruorũ & tẽpeſtatis. Inſuper, de vẽtorum flatibus, hunc vel illum aëris ſtatum proritantibus: nõ aſpernata locorũ, & temporũ, necnon ſtellarũ cum Sole & Planetis emergẽtiũ, vel labentiũ ratione, ac natura. Quibus addes colores & nebulas circa Planetas, & ſtellas inſigniores, manè, veſperi, & per noctẽ apparẽtes, ac cõſiſtentes. Nã ſi iuxta Martẽ aut Mercuriũ, vel fixã aliquã ſtellã de illorum natura, videbũtur ad ruborẽ inclinare, ſerenitatẽ cũ ventis teſtabũtur, & tonitrua, aut fulgetra. Si circa Iouem rufeſcent, aut cõtra Venerem palleſcẽt vel è Saturni regione liueſcent, pluui-
as,

as, niues, grandinem, tempestatem & similia, pro loci natura & partis anni temperatura, motúq; cœli: & quadratum anni de proprijs rectoribus statu, energia, & decreto. Ratio est, quia quęlibet stellarũ, circa sese per mediũ aërẽ vapores trahit, suæ naturæ, ceu simile simili conuenientes. Ex quo significatur, quòd vis huius stellę per eam tempestatem dominatur, ac statum aëris, pro coloris natura regendum verè suscipit. Sed hisce in rebus nostra Cometographia te plenius exercebit.

SICCITATIS ET SErenitatis Aëris, natura, effectus & accidentia.

SErenitates (vti etiam siccitates) imbribus, ex Hippocratis sententia, salubriores esse solent, ac minùs noxiæ. Que fiũt, vel à calore, cõsumptis vaporibus, aut à frigore, obstructis terrę meatibus: vel à siccitate, extinctis ventis australibus, seu à Boreali flatu humiditates sorbente & siccante.

2 Circa meridiem, & mediam no-

ctem, vel ſerenitas fieri plurimùm ſolet, vel aëris commotio, aut cæptę tẽpeſtatis continuatio, & perſeueratio.

3 Serenitatem hyemalem, & perinitia vernalem, frigiditas ſæpenumero conſectari ſolet: vt Autumnalem horridula quædam inæqualitas, manè præſertim & veſperi: ſub meridiem verò calor. Vnde morbifer Autumnus, à Poetis & noſtro Hippocrate, iure nuncupatur.

4 Si ſerenitas eſt quo tempore cœliſtis arcus apparet, hyemabit: ſi verò hyemat, ſerenabit.

5 Serenitas Autumni, ventoſam hyemem & maxma ex parte pluuiã, præſagire conſueuit.

6 Serenitas pluuiam aut humidam aliam aëris conſtitutionem, ſecum libere non admittit. Quanquam, à meridie ſurena oboriri poteſt tempeſtas, cadibunda per aërẽ matutino tempore, viſa fuerit nebula, vel caligo.

FINIS primæ Claſsis Ephemeridũ Aëris perpetuarũ Antonij Mizaldi Monluciani.

Ephe-

EPHEMERIDVM AERIS PERPEtuarum Antonij Mizaldi Monluciani.

Clasſis Secunda.

RORIS CAVSA & generatio.


OS fit à vapore, ſeu halitu humidulo, & cũ pauca terreſtri materia ephemero, qui in infima aëris regione, ob calidi ſurſum ducentis & rarefacientis paucitatem, à temperata & mediocri noctis frigiditate, in aqueam aſperginem facilè conuertitur, ac ſereno cœlo per idonea tempora, ſe deorſum videndum nobis & tractandum exhibet,

PRVINÆ, NEBVLÆ, & Caliginis generatio.

HÆc tria, ferè generantur vt Ros: nisi quòd vapor priusquam in aquam versus cernatur, non procul à terra congelascit, & crassescit: quod postremũ propter nebulam & caligenem adiectum est. Fit ergo Pruina peculialiter dum vapidus humor in frigidis locis infimæ regionis Aëris sursum ire contendens, à gelu rigescit, qui arboribus, & rebus aliis hærere solet, perinde atque halitus animalium, pilis aut barbæ, vigente Hyeme & frigore.

NIVIS GENERATIO.

NIX fit, quum pluuiosa nubes priusquam stillet aquam, in media aëris regione congelatur, & in exiguos flocculos soluta pessum abit: vi propria, aut mutuo nubium concursu rupta. Fiunt itaque Niues, frigiditate aëris, & siccitate nõ tantùm in vnũ locũ coacta, sed vbiq; per

per aërem ſparſa: ad quã vapor ſublatus, antequàm cogatur, in aquã concreſcit ac ſpiſſatur: ſi multùm, fit Nix: ſi minùs, & nõ procul à terra, Pruina.

GRANDINIS GENERA.

GRANDO eandem habet cum niue generationem: niſi quòd per aſperiorem, valentiorémq;, & penetrabiliorẽ mediæ regionis aëris frigiditatẽ κατὰ ἀντιπερίστασιν auctã, ad hæc percelerem cõgelationẽ, ſubitariámq; & repentinam fieri atq; in glaciem perſtringi conſueuit.

SIGNA NIVIS, RORIS, Grandinis, Pruinæ, Caliginis, & obſcuritatis aëris, ex ijs quæ omnibus ſub ſenſum oculorum cadunt, fideliter excepta.

QVIA NIX, GRANdo, Ros, Pruina, & Venti quamplurimi: adhæc, Tonitrua, & ex ijs tempeſtates aliquot, ad humidas aëris conſtitutiones pertinẽt de his (exigente Aphoriſtica methodo) vt conſequenter ſcribamus com-

modum admonet. bamus, com

2 Si itaque pluuiæ ſigna multa à Sole, Luna, & alijs (modo quo ſuprà) excepta initiante Vere, & Autummo procedente, necnon per temporatam Hyemem, in locis peropportunis (frigēte ſic ſatis aura) obſeruabis: grandinem aut niuem, vel pro his denſiſsimas nebulas & pruinoſas in via eſſe exiſtimabis.

3 Nubes biduum, triduúmve, plùs minùs, circa Horizontem ex fuſco vel rufo ſubalbeſcentes per hyemem (ſpirante præſertim Aquilone) gelidas niues, vt Vere & Autumnò grandinem, aut pruinam parturire, ab antiquis traditum eſt, atque mihi in hoc Gallico cœlo, ſepe numero obſeruatum.

4 Si per hybernā conſtitutionem remiſſo vtcunque frigore, pallidulæ fuſculæve nubes, in pluuiam ſeſe comparare videbuntur, niuem (vento ad Boream annuente) pro pluuia plurimùm ſupponent.

5 Si cum multis pluuiæ ſignis frigus adeſſe obſeruabis, Hyeme præſertim,

&

& imminente necnon excurrente Æquino ctio verno, niuem aut grandinẽ pro foribus adſtare, neſcius non eris.

6 Areæ, ſeu coronę circa Solem, Lunam, & inſignis ſtellas, cum ventorũ turbulentia ſubliuidæ, vel pallidæ glomeratim conſpectæ, niuem hyemali tempore nuntiant.

7 Spirante Borea, Aquilone, vel Aparctia, ventis nobis frigidis & niuoſis: adhæc Thraſcia, & Argeſte grandi dinoſis nubium pallor diuturnus ſi aderit: niuem, grandinem, aut congelata pluuiarum granula (modò cætera conſenſerint) expectare licebit.

8 Vigente grauida nube, eáque pallida (quam albam tempeſtatem nõnulli vocant) aërem commoueri ſi videbis, & nubibus nubes ex albo ſubobſcuras conglomerari, inſtantis grandinis aut niuis (modò locus, & anni pars ſubſcripſerint) immemor non eris.

9 Pluuiæ ſigna pauca, eádemque imbecilla ſic ſatis, cum temperato calore, vel remiſſo frigore, quoties obſeruabis; rorem, nebulam, caliginem, aut

pro his aëris obſcuritatem, locis & tẽporibus ad id oportunis, toties in via eſſe experieris.

10 Hyeme, conſequentibus diebus aliquot (vrgente gelido cœlo) incraſſatus aër, adfuturã niuẽ (vt per inęqualis Autũni, & frigiduli Veris initia, grandinem) profundere nihil cunctabitur.

11 Signa alia excipere poteris ex ventorum & tempeſtatum prognoſticis (de quibus poſtea) pro locorum & anni partium natura: ſingulis ſingula, vt decet, prudenter, temperando.

RORIS NATVRA, DIFferentiæ, Effectus, Accidentia, & alia.

ROS in locis minimùm perflatus citiùs ſe prodit, & faciliùs deſcẽdit, quàm in his quæ ventis vndequaque patent & exponuntur.

2 Ros (vt etiam pruina) in præaltis montibus ægrè generatur: quia temperata caliditas, vtriuſque materiã attollẽs, præ debilitate (põdus enim ma ius

ius fert, quàm suis congruat viribus) haud procul á terra vehere potest.

3 Ros Aristoteli, flante Austro, non verò Borea (preterquã in Ponto) plurimùm generari traditur. Quod tamẽ hîc perpetuum nõ esse, experiundo aliquando condisces. Quare ad climatum rationem tibi confugiendũ erit.

4 Mãna roris species quædã esse cẽsetur: quę aliud nihil est quàm præ pinguis & viscosus vapor ex cõmistione aquæ, terræ & aëris super plantas cadẽs instar saccari, aut farinæ prædulcis & mellitæ. Vnde à quibusdam cœli sudor, siue siderum saliua, aut purgãtis sese aëris mellitus succus esse putatur. Vt vtse res habet, magnam cœlestis naturæ voluptatem præ se fert.

5 Ros & pruina tranquillo tempore & sereno fiunt: adhæc loco nobis propinquo ex pauco vapore: pluuia contra: cuius materia colligitur per multũ tempus: roris, die vno plurimùm.

6 Ros demessam segetem & collectos fructus (vt etiam fœnum) vltro putrescere adigit.

7 Si Ros ſuper gramina, plantas, & res alias molles ac humidas ceciderit, guttatim & colligi & videri poterit. Si verò in aridam illabetur, nihil aut parum apparebit.

8 Vites rorem exoſas & arbores, contra exortum (vt ſtatim roridum humorem illis inimicum abſorbeat Sol) inſerere iubet Plinius. Quæ verò illum amant, ad Occaſum vel Septemtrionem, vt diutiùs eo perfruantur.

9 Ros etiam in tentoriis & locis ſub dio opertis fieri poteſt: quia eius generatio (vt diximus) eſt à craſſo vapore nõ procul à terra elato, quandoq; vno cubito vel pluribus: & a noctis frigiditate ibidem concreto. Vel ex reuolutione vaporis in ſe ipſum: accidente corporis alicuius denſi & frigidi attactu: quemadmodum in deſtillatorio capitello factum videmus, & in ollis ad foculum feruentibus, repercutiente ad illarum opercula halitu.

11 Roris excitabulum & fomentum, gelu etiam leuiſsimum in pruinã poteſt conuertere: éſtque circa auroram,

&

& per crepusculũ vtrumq; ros spectabilior & copiosior, quàm exorto Sole.
12 Nubes humida rorem aut pruinam raro præcedit : pluuiam, tonitru & niuem, contrà. Nam sereno cœlo, & ros & pruina ferè decidunt : nix & pluuia nubiloso.
13 Ex rore maiorem humiditatem & temperatiorem rebus terræ, quàm ex pluuia infundi, testatum obseruatúmque est. Vnde rorem plantis plus prodesse, quàm nocere experimur: nõ tamen omnibus, vt alibi scripsimus.
14 Ros insignem frigiditatem, pluuiam, niuem grandinem, ventos validos, coruscationem item & tonitrua secum liberè non sustinet.
15 Quia Ros ob viscidam dulcedinem facilè in bilem transit, ac intestina exulcerat: ideo pecora herbas depasta rore saturatas, dysenteria aut alui fluore alio celerrimè perdit: quod de anatome & obseruatione frequenter sum expertus. Quanquam alia subesse potest causa: quòd Ros sua dulcedine, ad largiorem pastum & cibum anima-

lia alliciat: quem elaborare & conficere quia minus poſſunt, ex putredine & corruptione febres, & ex his mortem incurrunt.

16 Si poſt largum & copioſum roris deſcenſum, Sol feruentioribus radijs terras ſalutarit: imbutas eo ſtirpes, & roridulo ſucco ſeſe veluti recreâtes floſculos, depopulato qui fouebat ſpiritu ad tabẽ & marcorẽ (niſi auxiliaris adfuerit: pluuiola) prõptiſsimè deducet.

17 Menſe Maio, in quo vt eſt in prouerbio) nubunt pulchræ, roris prouẽtus nobis copioſior eſſe ſolet, quam anni parte alia: cõſcentiẽte vbiq; cœli, & ſoli conſtitutione: cauſa exponã alibi.

PRVINÆ, CALIGINIS & Nebulæ natura, Differentiæ, Accidentia, Effectus & alia.

PRVINA hoc à Rore differt, quòd illa in locis & temperibus frigidis fiat: hic in temperatis: vtrunque ſereno cœlo & à vẽtis ſilente: ꝓpterea quòd nihil attolli aut cõſiſtere poteſt, niſi in tranquillo

aëris statu. Hinc factum vidias, vt neutrum in præaltis montibus gigni deprehendatur.

2 Pruina aliter à rore differt, quòd hic plātis terræ vt superincidens, repentè in aquam soluatur: illa congelanscens tantisper durat, donec à Sole, vel quomodocunque aliter, liquefiat.

3 Pruina plerunq; fœtet, ob remistum terrestris materiæ momentum, & impediente frigore non consumptum: quare aqua ex dissoluta pruina, in saluberrima est, & admodum noxia,

4 Pruina magna & diuturna, per Veris tēpora emergēs, segetibus ad florē festinātibus, & vineis, arboribúsq; plurimū nocere, nō tā est testatū, quā obseruationibus multis cōfirmatum.

5 Pruina æstate pauca aut nulla nobis visitur: per alias anni tempestates, non ita insolens habetur.

6 Pruinam descendentem & resolutā si ros præcedet (quod rarò accidisse vidi) alterū de altero discernere ægre posſis: sed id ad nebulā referre malim.

7 Pruina quia fit à vapore crasso, viscido

viſcido & nonnihil terreo, vbi frigidum aërem attigit, ſtatim congelaſcit: ſolidíſque rebus (vt diximus) ob lentorem promptiſsimè ſeſe inuiſcat.
8 Pruina (vt etiam nebula) ventum inſignem & violentum rarò agnoſcit: ẽſtque manè & veſperi ſpectabilis magis, quam poſt meridiem: quanquam hyeme (præſertim apud nos) locum id ſemper non habere deprehendes.
9 Pruina propriè dicta, caliditatem aëris niſi fortaſſe exiguam & mediocrem, facilè non admittit.
10 Nubes aliud nihil eſt, quàm vapor à frigore mediæ regionis aëris (in qua ſublatus pendet) conſtrictus addenſatus, & quaſi congelatus.
11 Nebula eſt veluti mitis pluuiæ, cuius guttulas viſus ęgre aſſequitur. Vel eſt nubis in aquam concretæ ſuperfluitas, & vapidum, excrementum: ſerenitatem ſi deſcendat (quòd ſit velut infœcũda nubes & ſemine penitus ex hauſta) plerunq; portẽdẽs & ſignificãs
12 Nebula (vt etiam pruina) quemadmodum æſtum intenſiſsimum non ad-

admittit, ita nec frigus insigne & per strenuum.
13 Caligo est quasi fumus quidam, circa aquas, prata, montes, vel plana loca spacio longiore visum hallucinās quam Aristoteles nebulam sterilem definiuit: quæ vt citò dispergitur, ita facilè vanescit.
14 Vapor haud ita procul à terra, tā sterilis vt ex eo aqua fieri non posit, nec rursum tam validus, vt sursum vehi queat: quibusdam caligo, alijs nebula dici consueuit: à quibus ocularis radius obtundi & veluti incrassescere deprehenditur: sed à caligine minùs quàm nebula.

NIVIS NATVRA, DIFferentiæ, accidentia, effectus, & alija.

NIX non fit nisi in loco & tēpore frigido: habétque cum aëreo viscido terrestre nescio quid. Cuius rei testes sunt manus, quæ niue emaculatæ, sordidiores reddi

reddi ſolent.
2 Niui ſurſum generatæ reſpondet deorſum pruina, vt pluuiæ ros. Grando, ꝓportionabile inferiùs habet nihil.
3 Nix & pruina differunt ſecundum multum & paucum, tota nubes congelata, fit nix: modicus vapor, pruina.
4 Hyeme quàm alia anni tempeſtate niues frequẽtiores nobis ſunt quòd niuoſa nubes, niſi multo frigore conſtringi nõ poſsit: nam multum caloris ex eo igni continet, qui humorem in vaporem conuerſum, auxiliante leuitate ſurſum vexit.
5 Nix compacta difficiliùs à Sole ſoluitur, quàm grando, Nam oportet nubem ex qua fit nix, antè congelari, quam in aquam ſit verſa: ex qua fit grando contra, quemadmodum poſtea audies.
6 Niues diutinas tẽpeſtiuè cadere & ſedere, tam arborũ quam frugũ cõmunia ſunt vota: eo quòd animã terræ, exhalatione vaneſcẽtem includunt & cõprimunt. Præterea, liquorẽ purũ & leniſsimum ſenſim præbent: quòd nix aqua-

aquarum cœleſtium ſit veluti ſpuma.

7 Vapor ex quo fit nix, longè rarior eſt & calidior, quam ex quo grando: quod indicant niuoſæ nubes pallidæ, & nonnihil lucidæ. Ideóque perpetuũ octiduum, & eo amplius, in aëre antè quam conſtringi poſsint, verſari quãdoque conſpiciuntur.

8 Nix decidens, ſæpenumero ob infime regionis aëris caliditate, priuſquã terram pertingat: in aquam ſoluitur. Ex quo factum videas, vt eodem tempore ſuper montes ningere, & in planis locis pluere, nonnunquam cõtingat, imò verò in eodem hemiſphęrio & loco ſimul pluere & ningere: dicitúrque niualis pluuia.

9 Humor ex niuibus nõ eſt vniuerſim ingurgitãs nec diluens, ſed quomodo ſititur diſtillãs, & velut ex vbere omnia alens, quę nõ inundat: quapropter ſtirpibus apprime amicus eſſe ſolet.

10 Niue frumenta maximè pingueſcunt, præterquam vbi calidus ſemper eſt aër. Tellus quoque niue fermenteſcit, & ſucci plena euadit.

Niuem

11 Niuem in montanis frequentiorẽ esse quàm in planis & humilibus locis, experiẽtia quotidiana fidem facit.

12 Nix æstate nulla aut pauca nobis decidit: Hyeme & per Veris initia, ac Autumni finem, subinde copiosissima, consentiente vbiq; cœlo & solo.

13 Nix rorem, caliditatem, coruscationem & tonitru rarò sibi comites adsciscit: caliginem frequentiùs, & quãdoque pluuiam, grandinem, ac ventũ.

14 Niuosæ nubes spiritus aërij in se habent plurimùm, vnde ventos aliquando generant, præsertim in situ opposito.

15 Nix nunquam est sine frigitate & gelu si minus præsente, saltem adfuturo: vel haud ita dudum præterito.

16 Nix resoluta, terram & iacta semina tempestiuè fœcundat: prodest etiã herbis & plantis, nisi statim cum pluuia sequatur gelu insigne.

17 Niuem rarò aut nunquam comitatur nebula: sicuti nec serenitatem grãdo. Quanquam potest diei pars altera serena esse, altera grãdinosa, ac pro lo-

co &

co & tempore pluuiosa.

18 Nix sine gelu momentanea est & parum durans, séque in pluuiam plurimùm cõuertit nnbes illam distillans.

19 Quia frigus in circunferentia mediæ regionis aëris (in qua gignitur nix) nõ tam est validum quam in eius centro, ideo niuales vapores omni ex parte presſis iis nõ aggreditur: nec niuẽ tam exactè quàm grandinem congelat. Ex quo credibile est, niuem nõ pro cul à sua origine latam dedicere : quæ eò angustior, minèrque deorsum spectari solet, quò infima aëris regio per quam transit, calidior habetur, iuxta quã libet anni & cœli constitutionẽ.

GRANDINIS ET GRAnulorum congelatorum natura, differentiæ, accidentia, necnon effectus, & alia pleraque.

INter grandinem & niuem hoc tãtùm inter est, quòd nubes ex qua gignitur nix, antè gelascit quàm in

aquam

aquam soluatur: ex qua fit grando, cõtra: nam primum in pluuiatiles guttas soluitur, quæ deinde congelantur.

2 Antè prodigiosũ grãdinis lapsum, hoc est enormes illius iaculationes magni & terribiles sonitus in aëre sępenumero obaudiũtur, ꝓpter pugnã exhalationũ vaporibus plęrũq; mixtarum: quæ dũ è nubibus prorũpere nitũtur, cõtrariorũ elisiõe, motu & attritu (perinde atq; in tonitru) murmur ingẽs cũ fragore edunt: ex quo fit vt tonitruose nonnunquam ad nos perferantur grandines.

3 Grando de regione aëris frigidissima decidẽs, quia per infimam (quę ex reuerberatione radiorum Solis ad aquam & terram incalescit) transitum facit, exteriùs liquescere potest. Vnde vna cum grandine pluuia labi quandoque cernitur. Cui addes (si videbitur) motum, & ex concursu atritum: qui calorem & proinde liquefactionẽ conciliare potest. Nec omittes, quòd tota nubes præcopia semper cõgelari nequit: quapropter pluuiam ex parte

tantùm densata stillat.

4 Frigus in grandine vaporis partes singulas veluti ad centrum (in quo operationis tota est vis) cõtrahit: quod in magnis aquæ guttis fieri minus solet, qua propter non congelantur.

5 Quia grando absque terrea substãtia non est, ideo in eius globulis nunc lignũ, modò pilos & alia inueniri mirandũ nõ video: quæ omnia calor succenturiante vento cum vapore & leuitate, sursum euexit.

6 Grandines interdiu quam noctu sæpius dedicere, & quam niues (præsertim concultatas) celerius resolui experientia constat.

7 Æstate grando nobis rara est, ob dissipantem & materias consumenté, resiccantémque Solis radium. Itidem Hyeme propter nimium vtriusque regionis aëris frigus: & quòd tum nulla ibi fiat antiperistasis. Autũno frequẽtior, saltẽ circa initia. Vere copiosissima, ob humidi prouentum à pręterita hyeme in terræ superficie larga manu relictum.

8 Vapore ſurſum lato, ſępenumero cō tingit circa mediā aëris regionē ventū frigidiſsimum oberrare : qui (vt nonnullis placuit) aquæ guttas duntaxat addenſatas, in glacialem & lapideam ſubſtantiam tranſire plurimum cogit: quæ guttæ quia rotundæ erant, ideo rotunda ſolet cadere grando.

9 Grandinoſa nubes, ventis inualeſcentibus de loco cui perpendicularis erat, vel quomodocunque aliter minabatur, in alium transferri poteſt.

10 Grando quantitatis vſqueadeo prodigioſæ nonnunquam cecidiſſe legitur, vt magnæ mollis lapides palam aquaſſe viſa ſit.

11 Grando figuram aliam a rotunda vt æmulare quandoque ſolet, ita diuerſorum animalium, rerúmque ſtupendarum effigiem præ ſe ferre.

12 Species beſtiolarum & animalculorum, vel rerum aliarum in grandinis glacie ſæpenumero apparentes. à virtute cœleſti (vt vult Albertus) non ab ocioſorum imaginatione imprimuntur.

Gran-

13 Grando ſola, vel cum pluuia & tonitru (Vere præſertim) deorſum frequentiſsima labitur: gemmãtes vites, & de flore parturientes arbores, non ſine iactura plerunque percellens.
14 Grando gelu præſentis, vel inſtãtis aut gelidæ auræ ſignum eſſe, plurimùm conſueuit magis minùs, pro loci & tempeſtatum ratione.
15 Grando quandoque celeriùs, quãdoque verò tardiùs, deorſum (ob materiæ ex qua fit ſoliditatem, aut fragilitatem) liquefieri ſolet: pro ſoli & cœli natura.
16 Tenellæ arbores vnà cum vitibus quæ ſæuiente grandine violentiùs vapulauerunt, fertilitatem etiam in ſequentes aliquot annos deponere, non ſemel mihi ſunt viſæ.
17 Granula congelata, philoſophi vocant globulos à frigore extrinſecus concretos: intrinſecus verò niuis inſtar molliculos. Quos eadem cũ grãdine materiam & generationẽ habere exiſtimabis: niſi quòd frigus intenſum adeò non fuit, vt illis ſub iuſta magni-

tudine glaciem adferre potuerit.

18 Granula cōgelata, niuis raritatem interùs habent vtcunque mollē vincente frigore, exteriús verò grandinis formulam. Quorum tēpora apud nos sunt Veris initia, ac Autumni medium & finis.

FRIGORIS AC GElu generatio.

QVOMODO Frigus & gelu fiant generētúrve, Sole à nobis recedente, tam notum omnibus esse arbitror, quàm est sua (quod dicunt) vnicuique domus.

SIGNA FRIGORIS, & Gelu.

SOL in exortu, vel occasu subfuscus, pallidus, & quadantenus viridis apparens, aut cū eiusdem plumę nubibus oriens vel occidens: hyemalē aëris cōstitutionē, frigidā nimirum & pluuiā, aut niuosam, ventosámve, magis & minùs, pro soli, cœli & partis anni ratione, significat.

2 Sol circa diuinū maistatis suæ spectaculum, vnum duósve circulos liuē-

tes, vel ſubæruginoſos admittẽs, à ſuperiori diuerſum nihil commonſtrat.
3 Si Hyeme, ſpirante Septentrionali vento, vel Orientali, Sol deſcendens, ſolito rubicundior aut pellicidior videbitur: gelu penetrabile, conſentiente anni parte aduehet.
4 Luna ante coniunctionem, & alias ad Solem cõfigurationes, tertia quartáve, pallida, fuſca, aut obſcura cõſpecta, hybernum cœli ſtatum (vt de Sole dictum eſt) nuntiat.
5 Vergiliarum ſeu Pleiadum ſydus ſi nubilo cœlo veſpere occiderit pluuioſam hyemẽ denũtiabit: vnde priſci negotiatores qui id obſeruabãt, & inſidiandi auaritia tenebãtur, lucernarũ pretia ſtatim augebant. Si verò ſereno id fiat, aſperam & gelidam: quapropter reliquarum veſtium pretia etiã intendebant. Qua ex re ſydus ipſum ab antiquis, veſtis inſtitor rectè nuncupatum fuit.
5 Stellæ (vt etiam Luna) ſupra ſolitũ nitorem, hyeme micantes, inualeſcentium frigorum, aut (ſi minus aderunt)

imminentium ſigna, quemadmodum ſedula docuit obſeruatio, non obſcurè dabunt.

6 Poſt longa, eádemque aſsidua Orientalis venti ſpiracula, gelu initiari ſi videbis: aut illi niuem, vel grandinem ſuccedere: eius duratione expectabis Si aderit pluuia, intermiſsionem.

7 Ineunte gelu grando alba gracilis & rotunda cadens, frigus intendi, pallida verò, craſſa, ablonga, & quadrata, laxari promittit.

8 Si Aquilonius ventus, vel ſociorum quiſpiam, terras validè perflabit (etiam ſi aderunt nubes) idoneis locis & temporibus, illum de tepida aura egelidam illico efficere, obſeruabis.

9 Niuis labentis particulæ ſubtiles, & paruæ, horriferum gelu, & ægrè ceſſaturum nuntiant: magnæ, latæ, & flocculis ſimillimæ, temperatum, & fortaſſe remitti paratiſsimum.

10 Frigidis morbis & chronicis obnoxios, necnon oſsium fracturis & luxationibus, malignıſve vlceribus & antiquis fatigatos, de recrudeſcentiū

dolorum impatientia, instans frigus (vt de Pluuia superiùs monuimus) præscentiscere certum est.

11 Palustres aues & stagnariæ, gelu initiante in magnas aquas fluentes, & gelicidijs parum opportunas excurrere visæ maximum frigus necdum dissolubile mihi plerunque protenderũt.

12 Democritum dixisse ferunt, & sæpissime probasse talem futuram hyemem, qualis fuerit Brumæ dies, aut circa illũ terni, antè & pòst: item Solstitio æstatem.

13 Ilices & quercus multum fructum ferentes, diuturniorem fore hyemem significant.

14 Quoties diuersarum specierum, vel vnius duntaxat paruulas aues, ineunte hyeme, densa dumetorum latibula quæritare, & cumulatim congredi obseruabis: adhæc, pastum nõ procul ab vrbanis, vel rusticis ędibus venari: validissimi frigoris & intensissimi signa præ oculis habebis.

15 Insolita extremarum corporis partium frigiditas, his qui foculo nun-

quam: aut rarò aſsident derepente ob orta: gelu ſi non adeſt, inſtare, ſi adeſt, inualeſcere inſinuat.

16 Si lineus pannus, laneúſve frigida immerſus, & ſub dio appenſus, ſtatim rigebit, ſuperiorum teſtimonia firmabit.

17 Ignis per hybernos dies ſolitò rutilantior, calidiórque viſus, & carbo inſigniter candens: frigus ſi adeſt, acerrimum ſi abeſt, proximum indicat.

18 Signa alia frigidi aëris, qua parte de pluuiis, ſerenitate, & tempeſtatibus ſcribimus, ſeruata vbique temporum & locorum ratione, permulta reperies.

FRIGORIS ET GELV natura, Effectus & Accidentia.

GELV PER Hyemem ferè totam, & Veris initia, finemq; Autumni, nobis admodnm familiare eſſe, fidem facit experientia: in ſeptimo dico hoc climate & vltra ad Septentrionem.

2 Aëre puro & ſereno, gelu opportunis temporibus, validius fieri quàm obſcuro, pluuio, & nubiloſo, pueris, ſenibúſque notiſsimū eſſe nō diffido.
3 Gelu Rorem ſecum non agnoſcit, ſed eius excitabulum ac fomentum, ſi quod eſt, in pruinam plerunque vertit.
4 Gelu coruſcationem, tonitru, & ſimilia, rarò (ſaltem apud nos) ſibi alligat: nebulam, aut caliginem multò frequentiùs: quæ eius intemperiem ſæpenumero auget.
5 In aurora, & ſub veſpertinum crepuſculum, frigus intenſius quám circa meridiem nobis eſt, ob radiorum Solis imbecillitatem.
6 Gelu inſigne, ſiccitatis cauſa eſſe poteſt: nam humidum condenſat, & laxas terrę partes admodum conſtringit: vnde in ambientem aërem nihil tranſuolat.
7 Pruina anni gelicidia, ſi cum pluuia diſſoluentur, cætera omnia quæ eodem anno poſtea contingent, pro maiori parte ita diſſoluenda conten-

dunt ſeduli obſeruatores.

8 Initiante gelu, ſi ventus Orientalis ſpirabit, vel, quod ſæpius ſum expertus, Septentrionalis frigorem intenſam durationem expectabis.

9 Si in principio Gelu humiditas ſuperuenerit, quæ ſit Nix, aut grando, vel Pruina, & non pluuia, ipſius gelu continuationem ſignificabit. Et ſi Nix fuerit humiditas, ea partèſque illius ſubtiles videbuntur, gelu fortius nuntiabit: ſi magnæ & latæ apparebunt, eiuſdem diſſolutionem.

10 Per Gelida anni tempora, ſi grando ceciderit, cuius partes ſint paruæ, albæ, graciles, ac rotundæ frigoris & Gelu continuationem ſignificabit.

11 Vigente gelu & frigore, ſi ceciderit pluuia, aut grando partium oblongarum, & minus albarum, eius diſſolutionem præfigurabit.

12 Spirante Aquilone & Borea, frigora nobis certò promittuntur: maiora & minora, pro cœli & partium anni conſtitutione, ac locorum ratione, & poſitu ad cœlum vario.

Fri-

13 Frigora tempeſtiua, arborum & plantarum ſerenitati conferunt. Nam ſic optimè germinant.

14 Frigora præcoces germinationes, cœli indulgentia euocatas, quandoque exurunt & perdunt: quare ſerotinæ hyemes, ſatis arboribúſque noxiæ eſſe ſolent.

FINIS SECVNDÆ
Claſsis Ephemeridum Aëris perpetuarum, Antonij Mizaldi Monluciani.

EPHEMERIDVM AERIS PERPEtuarum Antonij Mizaldi Monluciani.

Claſsis Tertia.

VENTORVM CAVſa & generatio.



ENTI HANC hábent generationem. Sicci halitus & cálidi, ſurſum vi Solis & Aſtrorum euocati, & à frgore ſuperiora per Antiperiſtaſim dẽſante repulſi, quia craſſis vaporibus, aut alijs, per viam occurrunt, & altiùs (quò illorum natura vergit) ferri præpediuntur, deorſúmq; dato obſtaculo, ob id remeare violẽter prohibentur, fit hinc: vt lateraliter ſupra terram, hac & illac errabundis veſtigiis deerrent, diuagentur, ac tumultuentur, ſiátque ventus. Hæc ſi obſcuriora dicis, planiùs ac familiariùs ſic tecum

tecum ago. Sicca exhalatio, à terra resoluta, cum occurrerit vaporibus crassis & frigefactis, qui deorsum supra terram sensim feruntur, mediúmq; aërem obsident: propterea quòd illa neq; deprimi potest, neque attolli, vi insita ob contrarij nixũ, in transuersum mouetur. Ex quo euenit, vt maximus fiat impetus, cùm magna extiterit in aëre vaporum & exhalationum copia. Qui impetus, motus, & agitatio, Latinis Ventus dici solet: nimirum quòd hinc inde veniat, & omnia perflans, à quocunque Horizontis loco exurgat.

SIGNA VENTORVM AB his que in Cœlo, Aëre, Aqua, & Terra, palam omnibus apparent.

COELVM.

SOL matutinus itidẽ & vespertinus, orbe rubicũdo, aut versicolore, vel quomodocũq; aliter picturato succẽturiatus, vẽtorũ carceres (qua mũdi parte vanescẽs circulus sese aperiet) actu tũ recludere aggredietur.

2 Sol varius apparens, & de ignea nube aut purpurascente, radios effundens, siue in partes exteriores, siue in semetipsum, ventura flatuum prælia commonstrat.

3 Sol de inferno hemisphærio radios sub auroram obscurè rubẽtes iaculãs, vel eius picturæ nubes præ se agens, ventorum testimonia secum habet.

4 Si caligo tenuis & per exigua circum vibrantes Solis radios extendetur (qualem nonnunquam tenellæ nubes præ se ferunt) venti venientis nõ secus admonebit, quàm si cum crocatis, aut miniatis nubibus Phœbæa lãpas sese à nobis subduceret.

5 Exoriente, labentéve Sole si à Borea nubes vna vel altera rubescet, illinc ventos domesticos, cælum sparsurum esse signum erit. Si ab Austro, australes: & ita de reliquis.

6 Ex solaribus radiis quosdam Austrum, alios Boream quasi diuulsos, lucidis cum partibus mediis exporrectißimè affectare si obseruabis: ventũ aut pluuiam in via esse existimabis.

In

7 In Occidentali tractu, post lapsum Solem eúmque rubentem, nubes instar ardentium carbonum sparsim visæ, ventum magnum significant.

8 Sol fuscus, radios manè & vesperi, rutila de nube refundens pluuiosa vẽtorum spiracula promittit.

9 Si abeunte Sole candidus ad occasum circulus apparebit, ventum magnum vnde primúm aperietur, portẽdet. Qui si longè ante occasum, vel bona diei parte, sub vasta mole puniceus conspectabitur, etiam cum ventis tempestatem dabit.

10 Si nubes, quas Græci παρήλια dicunt, ab vna tantùm parte informarit Sol, ac radios veluti minio intinctos longè porrexerit: vehementes flatus, pro angulis in quos spectra ipsa annuerint, illũ protendere certus eris. Quod in Luna, & eius paraselenis (sed minùs quàm in Sole) adhæc in stellis, sed infirmiùs quàm in Luna, etiam perappositè agnosces.

11 Rubicunda omnia (vt paucis multa dicam) nascentem Solem, vel cadẽ-

tem comitantia, ventos plurimùm attuliſſe, vt veterum monimentis eſt traditum, ita obſeruationibus multis firmatum.

12 Vnde emergere debeant ventorum flatus, de ſitu radiorum Solis ad Horizontem, vel motu nubium ventoſum aliquod ſignum præ ſe ferentium, facilè excipies. Quæ ſignificatio, non in ſolo Phœbi exortu, ſed etiam lapſu, locum habebit.

13 Vento (inquit Maro) ſemper rubet aurea Phœbe. Illa itaque poſt coniunctionem & ante, tertia, vel (vt aliis placet) quarta: adhæc, poſt alias ad Solem configurationes, in rubicundula nube qua ſi tremula apparens, ventos ab ea mundi parte inſurrecturos oſtendet, in quam à Zodiaco ipſa declinabit.

14 Luna in nube purpuraſcente ſubtilis viſa, corporiſque ſui partem à fratre nequaquam illuſtratam, vultu ſolito ſplendidiore & rubicundulo oſtentans, flatus ex eo cœli tractu promittit, in quem ſubſtrata nubes viam affectabit. Quanquam alij adoppoſitum

ſitum

ſitum detorquent: quod vtique abſurdum omnino non eſſe, fidem faciet obſeruatio.

15 Luna ignea aut flaua circulos circa ſe diuiſos & interhiantes multos excipiens, ventorum luctas vehementes & ex his tempeſtates validas indicat.

16 Luna ſi ad circuli ſunt partem eam qua luminis eſt expers, crocea, vel rubicundula apparebit ventoſum bona ex parte menſem, intenſiùs, & remiſsiùs pro colorum lubricitate, cõſtantiáve apertè teſtabitur.

17 Si Luna pleno cornu lucens, circulum circa ſe habebit: qua ex parte is plurimùm ſplendebit, ex ea adfuturum ventum maximè oſtendet.

18 Luna opaca cornua, & obtuſa, imò verò vultum totum ex rubro fuliginoſum adeò præ ſe ferens, vt falcata dici, viderique minimè poſsit, idẽ omnino quod ſuperiora pollicetur.

19 Luna obiecto aliquo corpore pręalto, vt monte, arbore, vel turri, vmbram (quatenus pro præſente luminis fœneratione illi datum eſt) nullam,

vel

vel ſaltem obſcuram proiiciens : ventos, pluuioſaque Auſtrorum ſpiracula intentat.

20 Luna cornu ſuperius (hoc eſt ſeptentrionale) acuminatum & rigidũ, Septentrionalem ventum, vt inferius, Meridionalem, portendit. Vtrumque rectum, ventoſam noctem.

21 Lunæ cornua , vtcunque reſima, & ſuppurpurea , mitem Zephyrum quandoque augurantur . Si contrà ſe habebunt, Apelioten. Sed ea cautio in Septentrionalibus hiſce regionibus, ægrè mihi eſt deprehenſa.

22 Luna Boreale corniculum tenebricoſum & retuſum habẽs, à Septentrione ventum promittit. Auſtrale à Meridie quamq̃ paulo aliter Plinius.

23 Lunæ falcatæ ſeu nouæ cornua ſurſum erecta, & acuta, ventoſam noctem, & fortaſſe diem ſequentem ſignificant. Itidem ſi in plenilunio rubella ſpectabitur Dianæ facies , alioquin ſubfuſcula.

24 Si Luna tertium diem agens, ambobus cornibus neque mutabit, neq;

re-

resupina lucebit, sed sublimes vtrinque apiculos protendet: occidentales venti: illam post noctem agitabuntur.

25 Luna in plenilunio rutilans, & se orbibus variegatis circumuestiens, qua parte maximè splendicantes illos ostentabit, ex ea tempestuosos ventos licebit expectare.

26 Lunæ cornu superius quasi cōniuens, Boream suspectum facit: resupinatum, Austrum. Quòd si duo trésve circuli circa Cynthiam aptabuntur, ab vno ventum serenum (modò extemplo marcescat, & fenestratim expiret) præstolaberis: à duobus sereniorem, & ita de reliquis deinceps.

27 Si Area, seu corona, Grecis ἅλως dicta, Lunam orientem, aut occidentē vel per alias cœli regiones exspatiantem obsederit: tantisper dum disparuerit, certi nihil pronuntiabis. Nam qua ex parte dispescetur, aperietùrque, inde ventos emittet. Quod à pluribus partibus factum si videbis eorundem cōfusio, súsque déque inferiora vrgebit: ac dubiam in aëre flatunm pugnam

gnam concitabit.

28 Stellas (vt cum vulgo loquar) præcipites, obſcuram per noctem (albeſcente à tergo cœli tractu) crebrò volitare, & penè dixerim labi, ſi videbis: ventos ex ijs partibus in quas ferentur, expectabis. Si de pluribus, vagos & errabundè inconſtantes.

29 Crebra & inſolita ſtellarum ſcintillatio, certiſsimum ventorum ſignũ eſt. Quæ circa planetas ſi continget (quanquam hoc negant) cum ventis etiam pluuias excipere, pro ſoli & cœli natura, par erit. Circa inſignes luminarium eclipſes, & Solis ingreſſum in Æquinoctialibus & Solſtitialibus ſignis, Adhæc circa altiorum Planetarum coniunctiones, venti dies aliquot antè & pòſt, variè ſpirare, ac reſpirare conſueuerunt.

30 Orionis, Arcturi, Pleiadũ, & inſigniorũ primæq́ notæ ſtellarum aliquot cœlo hęrentium, matutinos cum Sole & Planetis exortus, veſpertinóſque occaſus, necnõ cœli (vt loquũtur) mediationes, ventoſas tempeſtates, ac pluri-

plurimum aduehere ſcripſerunt antiqui, & nos plus millies ſumus experti.

31 Stellę ſolito maiores lucidioréſque viſæ, ventorũ afflatus ex ea cœli parte minantur, in quam de Ecliptica, pro ratione latitudinis inclinabunt.

32 Circuli circa errantes vel inerrantes ſtellas viſi, idem quod de Sole & Luna diximus promittunt.

33 Comatæ ſtellæ (vt alibi oſtendidimus) ſi diu ſub ingenti corpore excanduerint: ex ea parte vnde inſurgent, vel in quam caudam iaculabuntur, inſignis ventos conſtanter adſuturos nuntiabunt.

34 Traiectiones ex quo mundi angulo frequentes micabunt, ex eo irruituros ventos teſtabuntur: à contrarijs partibus ſubſilientes, eorundem inſtabilitatem: à quatuor mundi plagis erumpentes, omnimodas tempeſtates, vſque ad tonitrua, & coruſcationes. Quod ad ignitas aëris impreſsiones alias pro tua prudentia non inepte etiam accommodare poteris.

Parahe-

35 Parahelius, aut Paraſelene ſi ex parte Auſtrì vel Aquilonis apparebit, illinc ventum aut aquam dabit.

A E R.

36 Ventus in Solis & Lunæ coniugio ſpirans, ſi in tertium vſque diem perſeuerabit: primum tetragonum, & fortaſſe plenilunium attinget. Quod ſi die tertio alius quiſpiam interuenerit, ventorum confuſio (vincente tamen qui tertius fuit) oborietur. Quam obſeruationem ad plenilunium & præcedentes, necnõ ſequentes Lunæ ſchematiſmos, etiã appoſitiſsimè adaptabis. Quanquam alij ventum eum qui in aliquo Lunæ articulo viget, in ſequentem vſque duraturum exiſtimãt. Quod tamen apud nos locum nõ habete, plus centies exploraui.

37 Quia rarò pluuia, aut nix abſque vento ceſſare, abigíque ſolet, idcirco vtraque ſi inſignis erit flatuoſum aërem non procul abeſſe teſtabitur.

38 Poſt ſubſidentem caliginem, aut nebulam, ventus moueri plerunque ſueuit. Propterea ſi hæ abundauerint,

futuri

futuri Auſtri inditium eſſe volunt aë-
riarum obſeruationum ſtudioſiſsimi.

39 Cœlo ſereno, nebula quantumuis parua, dum Sol exoritur viſa, flatum procelloſum alicubi minatur.

40 Purpureæ nubes, poſt lapſum Solem Septentrionem verſus in longum exporrectæ, ventos (ſplendēte eo cœli tractu qui intercedit) intra triduum validos præſagiunt.

41 Nubes ventoſa in eam Horizontis partem deerrans à qua ſpirare non videtur ventus, flatus eò migraturos ſignificat.

42 Nubes in montium verticibus lōgè latéque diſperſæ, in quamcunque partem agentur, illinc ventum emerſurum promittunt. Tametſi aliȷ ab ea plaga efflaturum contendunt, vnde propellentur nubes.

43 Aër abſque profundis nubibus, & obſcura caligine, per maiorem hemiſhpærȷ partem rubeſcens, ventos adfuturos, niſi falſæ ſunt cum libris obſeruationes, hactenus quaſi digito indicauit.

Mu-

44 Matutinæ coruſcationes (vt etiam veſpertinæ) abſque tonitru, & nubibus, per Horizontem vaſtè micantes, ventos pluentes, & quandoque ſerenantes oſtentant.

45 Vere, Æſtate, & Autumno, ſi ab Euro, vel Auſtro (purpuraſcente alicubi aëre) frequenter ac plurimùm coruſcare videbis: adhæc à Zephyro, & interdum Borea, illinc ventos ingruere coniectabis.

46 Tonitrua matutina, aërem perflantem antiquis attulerunt: veſpertina & meridiana, imbrem. Sic ab Auſtro, Cauro, vel Fauonio, quoties nocte ſerena plurimùm fulgurauit, imbrifer ventus in via ſæpe fuit.

47 Tonitrua, Sole hyemalia ſigna perluſtrante, crebrò audita, Ver, & nō nunquam annum totum, ventoſum, quaſi tuba de alto, rerũ aëriarum obſeruatoribus cecinerunt.

48 Si Æſtate vehementiùs & crebriùs tonabit quàm coruſcabit, ventoſas aëris cōmotiones ab eo angulo vnde percrepabunt tonitrua, formidabis.

Aqua

AQVA.

49 Mare plus ſolito cæruleum apparens, Auſtros nuntiare tradunt: atrum, Aquilones: derepente ex inquieto tranquillum, venti vnius in alterum degenerationem, vel incrementum.

50 Spumæ maris diſperſæ, & inſigniter bullantes aquæ, aſperam tempeſtatem, flatuoſámque promittunt. Adhæc ſi facto ſilentio mare altiùs intumeſcere deprehendetur.

TERRA.

51 Si obſeruabis montium cacumina, ſonitum mugitibus perſimilem edere, aut ſolito elatiora craſsioráque apparere præterea, inſulam ex vna multas ementiri, Auſtros, & ab his pluuias expectabis.

52 Si excluſo oculorum vitio montes, arbores, & reliqua corpora quæ ſub ſenſum cadunt, craſsiora, quàm pro conſueto modo, maioráve conſpicientur: caliginoſos, & præhumidos Auſtros, viam affectare certus eris.

53 Terra natiuum ſuū colorē exuiſſe

viſa,& nigrior quàm ſit apparens, Boreale ſignum ob oculos ponit: albior, aut pallidior, Auſtrale:præſertím in liberiore cœlo, & ſolo.

54 Folia, ſine aura (ſaltem quæ ſentiatur)per inane ludentia : & lanugo, vel res quæuis alia in aëre volitans: adhæc pluma quaſi aliunde mota, aquis vltro citróque ſubſultans, ventorum ſigna ſecum habent.

55 Flamma ignis aut lucernæ ſcintillas multas micatim excutiens, ſéque (nullo cogente) intorquens : inſuper ellychnia fauillaceos fungos(vt ſic dicam)eructantia pluuioſos ventos augurantur.

56 Paſſeres præter modum pipillantes,& Aues veluti ſomnia ſibi fingentes.Adhæc Canes in puluere ſere plurimùm voluntantes, adfuturis ventis ſigna haud quaquam obſcura ponũt.

57 Si Aranearum filamenta aut rerum aliarũ flocculi, abſque cauſa per aërem motu vago multipliciter ferentur:& ventorum,& pluuiarum certiſſima præſagia exhibebunt.

Fulicæ

58 F licæ per ſerenitatem, relictis paludibus, in ſicco ludentes, & Ardeola multum obſtrepera mare fugiens, ventos cum aëris perturbatione ingentes minantur.

59 Anates, tum domeſticæ, tum agreſtes, ſi diu & multùm alas excuſſerint, ſéque cum vrinatoribus Mergis, ſolito auidiùs aquis commiſcerint tempeſtatum & ventorum præcones habebuntur.

60 Mergi è medio mari ad littus plurimùm conuolantes, ventorum & tēpeſtatis teſtes eſſe ſolent.

61 Continuò ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiūt agitata tumeſcere: & aridus altis
Mōtibus audiri fragor: aut reſonātia lōgè
Littora miſceri, & nemorum increbreſcere murmur.

62 Corui ſingultu quodam latrātes, ſéque concutientes, ſi continuabunt, ventos certò ſignificabunt.

63 Formicæ ſegniter operantes, aut contra propriam induſtriam latitantes: vel foras oua progerentes, ventū

ac tempeſtatem oſtendunt, non ſecus quàm Ranæ plurimùm coaxantes.

64 Cancri inſtante procelloſa ventoſa, aut pluuia tempeſtate, lapillis brachiis ac pedibus apprehenſis, ſeſe ſtabiliunt, Conchæ ſaxis adhæreſcunt, & Echini ſe arena ſaburrant.

65 Terreſtres volucres iuxra aquas vociferantes, & ſe illis perfundentes, ventoſam tempeſtatem non ſecus pręſagiunt, quàm Cornix idem agitans, & Hyrundo humili volatu aquas ſepius deradens.

66 Anſeres inſtante Septentrionali vento, volatum ad meridiem exercuiſſe ſæpenumero deprehendimus: ingruente verò Auſtrali, ad Boream.

67 Erinaceus terreſtris, qui & Ericius dicitur, duo foramina in ſubterraneo ſuo cubili effodiens, vnum ad Boream, alterum ad Auſtrum: vtrumlibet obturauerit, illinc ventos emerſuros oſtentabit. Si ambo, illorum pugnam confusè variam indicabit.

68 Polypus ad terram modo inſueto recurrens, & calculos flagellis ſuis com-

comprehendens, ventorum certiſsimum præbet teſtimonium.

69 Delphini per maris tranquillitatem laſciuientes, & aquas ſocio ſaltu validè perflantes, ventorum impetum ex eo cœli tractu ſignificare ſolēt, vnde primùm viſi fuerunt.

70 Signa alia ventorum, de Aphoriſmis toto hoc opuſculo per claſſes ſparſim diſſeminatis, colligere facillimè poteris. In quo non prætermittes locorum, & temporum, necnon cœli habitudinum rationes ac naturas, vt ſæpius dictum eſt, & ſubinde repetitum.

VENTORVM NOMINA, Naturæ, Differentiæ, Accidentia, Effectus & alia.

QVM quatuor ſint mūdi anguli ſeu cardines, qui cunctis hominibus ſenſu ac experiētia dignoſcuntur: videlicet ex Orientis Solis locus, necnon Occidentis, & quæ polis vicinæ vtrinque ſunt ſtationes (Septentrionem & Meridiem, ſi libet, appella) veteres

Philoſophi, primum ventorum numerum illis circũſcripſiſſe, & hinc cardinales ventos quoſdam rite nuncupaſſe mihi ſemper ſunt viſi. Vel quòd plures non nouiſſent. Vel quòd his tã quam ducibus reliquos complecterentur, & veluti aſſeclas intelligerent. Sequens ætas cognita ipſorum cardinum vaſta hinc inde amplitudine octo (cuilibet laterales duos) addidit atque illinc ad duodenarium numerum totam ventorum claſſem reuocauit. Cuius ſeriem iuxta veterum placita, hîc breuiter ex ordine tibi recenſebimus. Opus ſanè arduũ, ſed tamen cognoſci digniſsimum, appriméque vtile, non dicam nautis, & agricolis, ſed medicis, ac omnibus qui ſanitatis ſuæ cuſtodes ſeduli eſſe ſtudent.

DE VENTIS ORIentalibus.

ORIENTALES venti Ariſtoteli & Plinio in hunc ſe habent modum, Subſolanus Græcis ἀπηλιώτης nuncupatus

tus, quaſi dicas à Solis via, aut æquinoctialis exortus ſectione ſpirans, orientalium vẽtorum claſsicus eſt. Cui temperata omnia & mediocriter ſe habentia, pro locorum & partium anni ratione, necnon præſenti cœli ſtatu adſcribuntur, Hic ſuauis eſt, purus, ſubtilis & ſalubris: præcipuè manè: nam ſub Phœbęis radiis naſcitur. Vnde nihil veneni mortalibus adfert.

2 Vulturnus, Latinis à volãdo quod altè, vt volat vultur, nobis ſpiret: Gręcis verò, quibuſdam, εὖρος nuncupatus, quod pulchre fluat, ac ſalubriter ad Solis brumalem exortum Subſolano comes aſsidet: qui ob viciniã meridionalis Auſtri (in quem nonnunquam degenerat) humidus & nubicogus, nobis ſæpenumero viſus eſt. Non deſunt qui à vellendis nubibus, vulturnum dictum putent.

3 Helleſpontius, à Græcis καικίας, à me ob latentẽ malitiam, detrita litera κακίας dictus, eidem Subſolano ab æſtiuo Solis emerſu lateralis aſtat: incõſtans, & de Septentrionis natura in

 quem

quem annuit, subfrigidus. Hinc nubes non procul pellit, sed ad se vocat: vnde in adagium abijt, Mala ad sesé trahens, vt Cæcias nubes.
4 Orientales venti Aristoteli hanc agnoscunt naturam. Subsolanus siccus est. Eurus initio siccus, sub finem aquosus. Hellespontius humidus: sed in his distingue loca, & concordabis (vt loquuntur) scripturas.
5 Venti à Solis exortu spirantes, vberiorem habent materiam, & flatus validiores, quàm occidui: quia materia noctis frigitate compressa, Sole emergente tenuatur, & ad motum impecúmque faciendum paratior euadit.
6 Orientales Venti salubres sunt: quia à loco & aëre temperato necnon subtili prodeũt, vnde serenatores quibusdã appellantur, Propterea ædiũ & bibliothecarum fenestras, ad captandam omnis corruptionis expertem auram, illis aperiunt
7 Euro perflante, omnia quam consueuerũt maiora apparere plurimum solent: nam nubicogus est & vaporosus.

rosus: ex quo (vt in nostris primis Ephemeridibus demonstrauimus) falsam phantasiam de corporum quantitatibus & colore passim exhibere potest.

8 Constat ex Astronomiæ & Cosmographiæ rudimentis, pro regionũ & Horizontium varietate, lateralium ventorum distantias, à quatuor principibus & cardinalibus, magis minúsve variare. Nam & Orientalis, & accidua, æstiuáque ac brumalis Solis (vt loquuntur) amplitudo, tanto maior accidere solet, quanto alter polorum fuerit super Horizontem elatior. Sed de his multa in nostra Cosmographia.

DE VENTIS OCCIdentalibus.

OCcidentales vẽti oriẽtalibus oppositi, sic se habent. Fauonius Grȩcis ζέφυρος nũcupatus, ab occiduo Æquinoctij tractu spirat: éstq; Veri in quo plurimùm viget admodũ similis; vnde hyemẽ, niues &

pruinas resoluit: & quia tepidus est ac temperatus, herbas florésque producit: à fauendo vel fouendo nomen habés: ad cuius spiracula omne mortaliũ genus luxuriat, & Venerem sobolis gratia exercet.

2 Africus, Grecè λιψ, ab hyberno occasu intonans, Fauonio, meridiem versus, socium se præbet: tempestiuosus, & ob Austri contubernium, nobis quandoque pluuius: ab Africa & Lybia regionibus vnde mittitur, nomen habet.

3 Caurus Græcis ἀργέστης dictus, in æstiuo occasu ad Septentrionis latus, Fauonium (vt satelles principem) stipat: percellosus: niuosus, grandinosus frigidus ac humidus: quo efflante, nubila in Oriente sereno die plerumque spectantur.

4 Occidui venti, Aristoteli subfrigidi omnes sunt: nisi quód Caurus siccus est in principio, & aquosus in fine. Sed hæc climatibus Aristotelicis donemus, nostris non item. Nam vt est in carmine, Sortitur genium quælibet

bet ora ſuum.

5 Occidentales venti Orientalibus in hunc modum opponuntur. Fauonius, Subſolano, Africus. Vulturno. Caurus, Helleſpontio.

6 Venti oppoſiti maximè flant circa tempora oppoſita: vt circa Vernale æquinoctium, Fauonius: circa Autumnale, Subſolanus: & ita de reliquis: faciúntq; idem, vel omnino oppoſitum: ſeruata vbiq; cœli & locorum natura.

7 Venti ſecundum diametrum contrarij, ſimul flare raro aut nunquam videntur: nam valentior debiliori obluctatur, violentiámque infert, & ceſſare cogit: vel ſaltem obtundit, & confundit.

8 Occidentales ventos in fine diei, quòd à Sole repurgentur, ſalubriores eſſe contendunt Philoſophi, & těperatiores, quàm in initio. Oriětales cõtrà.

9 Fauonium, ante meridiem paſcentes Æſtate oues ſpectare, poſt meridiem verò Subſolanum, antiquis ſalubre fuit & auſpicatum: aliter noxium & malum: quòd experiundo (ſi

videbitur) explorabis.

10 Fauonius Vere, per cuius tempora aduentare ſolent Hirundines, à quibus Chelidonius nuncupatur, & Autumno dum à nobis recedunt, ſurgente Heſpero, nō procul à terra ſpirare ſolet ex quo fit, vt Canes ne inter venandum latentes feras ſubodorentur, impediat. Nam hic ventus, quòd omnium continentiſsimum ſit, maximéque terram attingat, plurimùm confundit olfactum ac guſtatum.

11 Zephyrus, ſeu Fauonius quia temperatus eſt, & poſt tempeſtates plerūque ſpirat, aëriſque habet temperaturam, idcirco ei admodum conuenit cum aëre: quem ſicuti non conturbat ita terrę fœtus nullo modo contriſtat: Ex quo illum Græcis ζέφυρον bene nūcupatum, quaſi dicas ζωήφερον, non ineptè tibi fortaſſe perſuaſeris.

12 Flante Fauonio terra hyemali frigore conſtricta aperitur: ac plantæ omnes germinant, & pullulare incipiunt. Nam Plinio naſcentia è terra ab illo maritantur. Quo fit vt genitalem

mundi

mundi spiritum, Fauoneum sæpenumero vocitet.

13 Fauonium oliueta spectare iussit Cato: hic ver inchoat, aperítque terras tenui frigore saluber: hic vites putandi, frugésque curandi, arbores serendi, poma inserendi, oleas tractandi ius dabit, afflatúq; nutritiũ exercebit.

DE VENTIS MERIdionalibus.

MERIDIONALES vẽti calidi nobis sunt, & omnium maximè humidi: quorũ rex & primarius est Auster, Græcis νότος dictus: humidus: fulminans & pestilens. Cui socium se præbet, occasum versus, Austroafricus, seu λιβόνοτος, pluuiosus & quandoque tonãs: sic dictus, quòd iunctus sit hinc inde Austro & Africo: adhæc Noto & Libi. Ad Orientis latus Euroauster, vel φοινικίας iacet: calidus & humidus, ex vna parte habens Eurum, ab altera Austrum: vnde nomen retinet.

2 Venti Meridionales, Aristoteli sic describuntur. Auster, Euroauster, & Libonotus calidi sunt: sed ex his Auster noxius & pestilens. Libonotus humidus magis quam calidus. In quibus semper (vt monuimus) cœli & locorũ rationem præ oculis habebis.
3 Meridiani venti quia à calido loco & retorrido, per medium mare mediterraneũ (ex quo vaporis in transcursu permultos hauriunt) ad Septentrionale solum oppositum permeant, idcirco humiditates illa affatim exprimũt. Septẽtrionales cõtrarium agunt, ob loci vnde proficiscũtur ἰδιοπροπίαν Quæ ratio, in alia cœli ad terram positione, contrario se habebit modo.
4 Venti Meridionales alijs omnibus insalubriores nobis sunt: nam humitatũ & putredinis authores, fautorésque esse deprehenduntur: quapropter illis nec cellaria, nec ædes, nec bibliothecæ, nec granaria aperiri debent.
5 Auster de similis naturæ locis quibus Aquilo spirat: nimirum de Austrino polo, multáque niue, glacie, & gelu

gelu, loca polis vicina vexat. Quum verò per Solis itinera, & meridianam plagam transit, à Sole desiccatus raresc cit. Ex quo in Græciam calidus & siccus necessariò peruenit, & proxima loca calefacit ac desiccat. Vnde quæ ferè illic æduntur, siccescunt, clanculúmque homines desiccant. Quum enim neque de mari, nec fluminibus vllum humorem capere posit, de animalibus ac terra natis (vt habet Hippocrat. Lib. 2. de Rat. vict.) succum plurimum exugit.

6 Venti Australes, in mari maiores & sæuiores tempestates excitāt, quàm Septentrionales, & alij quiuis. Nam à loco calido prosilientes, multos vapores pluuiarum & tempestatum nutritios secum prouehunt.

7 Ventus australis breuis & modicus aërem serenat: magnus & diuturnus turbat: qui in fine validior esse solet quam initio.

8 Australes venti locis & temporibus opportunis nebulosi sunt ac vaporosi: propterea falsam rerum phan-

taſiam penes magnitudinem & colorem ſæpenumero mentiuntur.
9 Auſtro flante maiores fluctus æduntur, quã, ſub Aquilone: cuius motus, ſicuti etiam aliorum, Sol exoriens, itidem & Occidens adauget: meridianus cõprimit, ſaltem æſtiuis temporibus, in noſtris hiſce regionibus.
10 Auſter quantò maior erit, tantò pluuioſior (ſaltẽ nobis) ac diuturnior apparebit. Vnde, quia finiẽs (vt diximus) validior eſt quam incipiens idcirco pluuias ſub finem vehementiores quam initio fundit. Boreas contra: quapropter aquas paulatim colligit.
11 Auſtri ſi diu quidem ſpirabunt ex Hippocratis obſeruatione & præſcripto, auditum hebetabunt, caput grauabũt, erunt caliginoſi, pigri, & diſſoluentes.
12 Auſtrinæ conſtitutiones corpora humectant, frangunt & laxant: vertigines faciunt, oculis atque artubus difficilem motum præſtant, & aluos lubricant.
13 Auſtro perflante animal quoduis mi-

ninus esurire testatũ probatumq́ꝫ est. Quia calor ab eius flatu cutis poros aperiẽs, cum spiritu calidũ internũ (beneficio cuius coctiones & facultates aliæ naturales perficiuntur) foras exhalare ac dissolui sinit. Sed in calidis regionibus: id locum habere potest, in nostris nõ item: nisi fortasse per æstatem. Cęterùm, quia (vt dictũ est) Austri diuturni, humiditate superflua corpora replent, & pituita infarciunt, etiam idipsum in paratis moliri possunt.

14 Austrum quæ spectant arbores, decidua folia ante alias habere tradiderunt rerum agri scriptores. Adhæc, per austrinos flatus fruges peiùs maturescere, quanquam celeriùs.

15 Auster noctu ideo vehementior solet esse quam die, quia exhalatio vẽti huius, tam est calida, vt noctis frigore deprimi non posit, quin proprio calore sublata vehementior insurgat. Interdiu à Solis æstu rare fit, & aliquando absumitur, vnde non potest tanta vi spirare, quanta noctu.

16 Austro permultùm diúque flante,

fungos

fungos & Irides circa lucernas fieri constat: quæ ab his maximè conspiciuntur, vel potiùs confinguntur, qui natura humidiores habent oculos, & visionem imbecillam, vel vtcunque deprauatam.

DE VENTIS SEPtentrionalibus.

SEptētrionales venti frigidi sunt & sicci, faciúntque niues & frigora. Quorum cardinalis & pręcipuus est Septentrio, Græcis βόῤῥας καὶ ἀπαρκτίας quòd ab arcto, flet, dictus: Lateralis ad occasum, Circius & Olympias, Græcè θρασκίας & ἰάπυξ niuium authores & grandinosi. Ad Orientem Aquilo, Græcis καικίας, comes sedet, nubes cōstringens & aquas glacians sine pluuia: adhæc flores & fructus, vineásque germinātes lædēs.

2 Venti Septentrionales Aristoteli sic depinguntur. Boreas, Aquilo, & Circius aëra purgant, & nisi vehementer frigidi fuerint, serenant: particulatim Boreas grandinosus est & salubris: Aquilo

Aquilo, niuoſus & corruptionis vindex: in ſumma frigidiſsimi omnes. Sed hęc noſtris hiſce Septentrionalibus regionibus nec paſsim, nec per omnia reſpõdere obſeruabis. Quare te vẽtis seriò philoſophari volenti, neceſſaria eſt cœli & partium terræ cognitio.

3 Septentrionales venti meridianis huncin modum opponuntur. Boreæ, Auſter, Aquiloni, Euroauſter: Circio, Auſtroafricus.

4 Venti Septentrionales ſaluberrimi ſunt, & omnis putredinis expertes. Vnde rerum agri authores, cereales apothecas & vinarias illis patefacere, & (vt dicam) feneſtrari præcipiunt.

5 Venti Septentrionales, floribus, prægnantibuſque arboribus, necnon germinibus: & recenter efformatis fructibus, adprime (ſaltem apud nos) nocent: gemmantéſque vineas grauiter fatigant & lædunt.

6 Borea exſibilante puteos magis quàm ſlante Auſtro fumare cognitum eſt. Cauſam habet antiperiſtaſis, qua ille calidum intrò congregat, hic

vapo-

vaporat & educit.

7 Aquilo, quia frigidus eſt & ſiccus, ideo omnes corporis ſuperfluitates facilè abſumit. Nã frigus cutim cõſtringendo naturalem calorem ad intima depellit: qui deinde auctus, ad omnes naturales actiones, & illis ancillantes facultates alias corpus noſtrũ vitámq; diſpenſantes, fortior inſurgit ac robuſtior. Hinc hyeme & Vere (vt ter maximus ſcripſit Hippocrates) ventres natura ſunt calidiſsimi, & ſomni profundiſsimi.

8 Boreas nocturnus, tertium diẽ plurimùm non exuperat: qui vt diurno tempore acrior inualeſcit, ita nocturno debilior euadit. Addã quòd Aquilonem pręnunciat terra ſicceſcens repẽtè: Auſtrum, humeſcens rore occulto.

9 Si Boreas poſt humidam conſtitutionem ab Auſtro accerſitam reboabit, tempeſtas in aëre palam induci ſpectabitur. Qui tametſi incipiens paruus eſſe ſolet, finiens nihilominus magnus exploratur: non paruus in egreſſu vires acquirit eundo.

Aqui-

10 Aquilones aërem longo tempore exercentes, secundum Hippocratem, tusses permouēt: adhæc, vrinarum difficultates, horrores, costarum & pectoris dolores, lippitudines siccas, febres acutas, grauedines & atras biles.

11 Aquiloniæ constitutiones eidem Hippocrati corpora densant, & contēdunt: præterea bene mobilia, colorationa, & meliùs audiētia faciunt: aluos exsiccant, oculos mordent: & si pectus dolor aliquis obsederit, laborē augēt.

12 Aquilonius aëris status siccus, his qui naturā habent humidiorē confert: Austrinus verò humidus, qui calidiorem & sicciorem: quia contraria, vt habet ex Hippocrate Galenus, contrariorum sunt remedia.

13 Densiores & materiæ firmioris arbores, Aquilone maximè gaudent, cuius afflatu lætiores euadunt.

14 Greges contra Aquilonem pascentes, lippitudinem & alui defluuia contrahere, testatum est. Ad quæ accedit, quòd qui fœminas ex grege, vel armento concipi volet, in Septentrionalem

nalem ventum inire vt cogat, expedit
15 Aquilonia hyems, ſatis omnibus vtiliſsima eſſe cenſetur, quam ſi tepidi ſequẽtur imbres, optimum erit. Nam arbores fœtu exinanitas, & foliorum ſpolijs languidas, naturale eſt eſurire: cibus autem illarum eſt imber: quem protinus conceptus ſeu germinatio, opportuno tẽpore & loco ſequi ſolet.
16 Flante Aquilone arandum nõ eſſe, nec item inſerendum, aut ſemen iaciendum, author eſt Plinius. Nam radices vẽtus hic percellit & perſtringit.
17 Venti Plinio hanc habent rationẽ. Omniũ frigidiſsimi ſunt quos à Septentrione ſpirare diximus. Quibus præterquam quod addit Caurum, commune etiam facit, vt reliquos cõpeſcant & nubes abigant.
18 Humidi ſunt Auſter & Affricus. Sicci Caurus & Vulturnus, præter quam deſinentes, nam tunc proprium temperamentum ſuum, ad humidi aut frigidi latus latus detorquent.
19 Niuales eidem habentur Aquilo & Septentrio, quanquam poſtremus
gran-

grandines cum Cauro agnoſcit. Auſter alicubi æſtuoſius eſſe cenſetur.

20 Tepidi ſunt Vulturnus, & Fauonius ĳdémque Subſolano ſicciores. In vniuerſum omes à Septentrione & Occidente ſicciores ſunt, quam à Meridie & Oriente.

21 Ventorum ſaluberrimus eſt Aquilo: peſtilentiſsimus (ſaltem nobis) Auſter: mediocriter ſe habet Subſolanus: vtcunq; ſuſpectus Fauonius. Sed quia in his vt pleriſque aliis, ſine limitatione loquitur Plinius cautè eſt legendus & circunſpectè audiendus.

22 Aquilo quia gelidus eſt & ſiccus, flores ſine pluuia maximè lædit. Circius frigidus itidem & ſiccus, ventorũ gyros & niuiũ coagulationes faciẽs.

VNIVERSALIA QVÆdam ad Ventos omnes.

VENTORVM materiam non tantùm à terra, ſed & fluminibus, niuibus atque mari, educi poſſe exiſtimabis. Nã in his plurimum ſpiritus humidi ineſt

qui

qui ob insitam leuitatem, & materiæ tenuitatem, quum in nebulam, aut niuem transire non possit, in ventum promptè abit.

2 Ventos ex materia pluuiæ cognata, vel cum ex pugnante oboriri vel hinc constat, quòd quidam pluuias cient, alij verò serenitatem efficiunt.

3 Quemadmodum flumina magna, de paruo fonte & exigua origine paulatim increscunt, aliis fluuijs, riuis, & aquis receptis, ita venti in suo primo exortu, circa Horizontem remissiores emergũt, & debiliùs spirant: ab illo verò remoti (accidente subinde ab inferioribus per aërem noua exhalationum caterua) fortiùs grassantur, & collectis à multitudine viribus (qua data porta) validiùs perflant. Nam ex succisiua per Horizontem exhalationum impulsione fiunt, à quibus impelluntur: perinde atque in aqua ex proiecto lapide circulus à circulo, donec ad eum qui omnium est maximus ventum sit: in quo impetus omnis: exhaustis viribus paulatim

atim remittitur & languescit.
4 Quia ventorum locus est infima aëris regio: ideo à montibus, & eminentibus locis facilè abscinduntur, & ne deorsum sæuiant, refringuntur: qui supra terræ, maris, aut fluuiorum planiciem, viã liberiùs ire, rediréq; solét.
5 Venti ob aliquo cursu aguntur, vel quia halitus illorum materia, ignea & agilis quodammodo est substantia: quæ in sublime lata, dato obstaculo, per rectam lineam (vt graue corpus) descendere non potest: ergo leuitate insita, obliquè & lateraliter palàm deerrat. Aut, quia fumorum & vaporũ noua soboles de ascensu occurrens, aliò migrare (nimirum ad latus) ac vltro cedere cogit.
6 Venti in magno æstu ac frigore pauci spirãt: quia in illo, exhalatio vẽtorum pabulũ à sole depascitur: in hoc verò, terra gelu cõstricta, fumos exhalare non potest: vti etiam nec aqua.
7 Ventus quiuis, niuem, grandinẽ, pruinam, siccitatem, gelu, pluuiam, tonitru & quę illud sequuntur agnoscere
po-

poteſt,quæ commotio (vt poſtea dicemus , & opportunè adnotabimus) tempeſtas dici ſolet.
8 Ventos dedit ſummus rerũ artifex ad cuſtodiendam cœli aut (ſi mauis) aëris,terrarúmque temperiem:preterea,ad euocandas,ſupprimendáſq; pluuias:& alendos ſatorum ac arborum fructus : necnon ad difflationem,quæ vna putredinis eſt vindex.
9 Venti opportunis temporibus frigitatem plurimùm augent. Vnde hyeme plerunque videre licet , loca perflata & ventis expoſita, plus aliis, etiam eodem die & ſpatio rigere, ac gelu infeſtari.
10 Ventos etiam lucente Sole , non procul à terra inſigniter tumultuari obſeruabis:quòd halitus ipſe vix dum ſalutato aëre,in primo terræ limine cõcurſantes. errabũdi luctãtur. Vel quòd à contrariis partibus exilientes , circa terram obuii,cæſim & punctim ex tẽpore coeunt. Aut , quòd ventoſæ exhalationi remiſtus ſit vapor,qui ſupra halitum ſparſus,illũ ſuccumbere,proindéque

indéque inferiùs deerrare compellit.

11 Circa Lunæ Eclipſes, flatus (vt author eſt Ariſtoteles) agitari maximè ſolent. Ad quæ accedit, quòd iuxta vtrunque Æquinoctium, ventus aut aqua apud priſcos locum habuerunt quoties in Caniculæ aut Arcturi exortu non pluit.

12 Quemadmodum exiguus ventus pluuiam ingentem compeſcit, & obtundit, ita ventum violentum pluuia parua: quòd ex pugnantibus conſtent materijs: quæ (vt poteſtas omnis) impatientes ſunt conſortij.

13 Venti vicini aut obliquè contrarij non ex diametro oppoſiti, ſimul flare poſſunt: qui quò obliquiores erunt, eò turbas maiores, & tempeſtates ſæuiores concitabunt.

14 Ventus perſtrenuus roris generationem & lapſum præpedire poteſt: magis minùs, pro varia locorum ad cœlum poſitione.

15 Montes & æditiora quæque loca, modò infimam aëris regionem (vt de Atlante, Olympo, Ato, & Pindo, ſcri-

bunt) nō exuperēt, ventis ſæpius quā humilia pulſari, agitaríque certum eſt.
16 Ventos ex diametro oppoſitos, in eodem Horizonte ſimul flare eſt impoſsibile. Nam ſi ex æquo fortes erūt & pares, alter alterum impediet: ſi impares, debiliorem ſuccumbere neceſſum erit.
17 Scandente ſupra Horizontem Sole, ventos inualeſcere fidem facit obſeruatio: qui Hyeme validiores circa Auroram eſſe ſolent, quàm circa Heſperum.
18 Ventos ideo ſiſtit pluuia, quòd eius aqua, terræ poros exteriùs (ne exeant halitus) obſtruit. Aut, quòd ſiccos fumos ventorum materiam immodica & intempeſtiua humectatione diluit ac obtundit.
19 Vētos quandoq; ciet pluuia, quia terram aridulam exſiccatámque, & nihil aut minimùm exhalantem, pluuiali madore recreat, tepefacit, & collapſas illius vires reparat, feſſáq; membra leuat: perinde atque fieri ſolet in igne cineribus condito, aut calce: in qui-

quibus modica frigidæ affusio, fumos alioquin latentes & pressos conspicuè excitat.

20 Sole exoriente si minus cessabunt venti, illorum prolongationem ac vehementiam formidabis. Nam Sol præsertim fortis, radiorum suorum maiestate, aërias materias (nisi rebelles fuerint) tenet vel abolet.

21 Quemadmodum venti ex leui atque modica materia surgunt: ita illa deficiente, illico cadunt.

22 Ventus ante pluuiam adfuturam maior esse plerunque cõsueuit, quam post. Ad quæ accedit, quòd pluuia collabente, ventus (vti est adnotatum) aut omnino quiescere, aut minor fieri plurimùm solet.

23 Venti pro materiæ diuersitate & regionis à qua feruntur natura, diuersis modis affici vidẽtur: propterea sibi similes vbique non sunt.

24 Ventos eos qui degẽte supra Horizontem Sole incipiunt, vehementiores, diuturnioresque expectabis, quã qui illo sub terram lapso, emergunt.

25 Quia terra eſt rotunda & inęqualis, ideo fit vt ventus vnus alicubi flans, alibi non perſpiret, Vel quia omnis non fert omnia tellus, hoc eſt, ventoſę exhalationes vbique non exeunt. Aut quia à montibus (vt diximus) trãſire præpediuntur.

26 Venti quandoque ſubſidunt ac remittuntur, propter defectum caloris qui terræ ſpiramenta recludit: ex quo fit, vt per eam conſtitutionem, pauciores, vel ſaltem mitiores, ſerenioréſve prodire videantur.

27 Vere & Autumno ideo frequentes, fiunt venti, quia tunc propter aëris teporem, & meatuum terræ apertionem exhalationes ſunt plurimæ: quæ ob radij ſolaris debilitatem, minùs diſſolui ac diſsipari poſſunt.

28 Æſtate & Hyeme pauci ſpirant venti: quia in hac, halitus (frigoris beneficio) clauſis carceribus comprimũtur, in illa: à rapidiſsimo Solis radio extinguntur, & vaneſcunt.

29 Venti qui quarto die poſt Solis & Lunæ coniugium ſpirant, menſe integro

gro quandoque perſeuerare deprehenduntur. Nam is dies totius peragrationis lunę, ſicuti apud medicos acutorũ morborũ, index antiquis eſt habitus.

30 Venti in orbem ferè ſpirant, ita vt cadentem proximus ſemper ſequatur, ex læuo latere plerumq; in dextrũ hac enim ratione motum Solis reſpicere volunt. Quod ipſe ad obſeruationem diligenter conferes. Nec omittes quòd quiſquis erit ventus, ſi ferui dus ſentietur, pluribus diebus permanebit. Et vulturnus ſi à ſerena cœli parte cœperit flare, non durabit in noctem : at Subſolanus in maiorem noctis partem extenditur.

31 Venti medio die aut nocte ferè ſopiuntur: quòd nimio frigore, vel æſtu (vt ſæpius dictum eſt) illos ſolui experientia doceat.

32 Quum exhalatio, ventorum materia, calida ſit & ſicca, mirabitur quis, vnde venti alij ſint humidi, alij frigidi, & ita deinceps de reliquis ex ordine. Huic paucis reſponſum volo, qualitates ventis à locorum natura, vnde

vel per quæ ſpirant, accidentaliter inesse, non à Solis halitibus & fumis.
33 Inter ventum & Auram, tale ferè est diſcrimen, quale inter lacum & flumen. Aura enim nihil aliud eſt, niſi aër ob motam leniter exhalationem blandè impulſus: qualiter flabello excitari ſolet. Quid ventus dictum ſuprà.
34 Auræ æſtu præualido maximè excitantur in locis ſaltuoſis, aut ad flu minum ripas: propter ſpiſſiorum exhalationum & frigidiorum diſſolutionem, in his locis à calore Solis factã.
35 Ventorum impetu & violentia, piſces in nouas piſcinas & aquas, necnon noua ſemina in alienas terras, nouúmque auium genus atque incognitum, è lõginquis regionibus transferri, ſcriptum eſt, atque obſeruatum.
36 Venti ingẽtes & diuturni, proditiones vulgò portẽdere ſolet: quia ab acri caliditate & ſiccitate oboriuntur, quæ imbecilla capita vexat, & in proditiones ac ſeditiones plurimùm agit.
37 Venti ſunt expectãdi vnde nubes diſcuſſę cœlum adaperuerunt. Sed hęc ſatis:

ſatis: nũc ſupereſt vt de particularibus ventis quibuſdam, certis tẽpeſtatibus anni remeãtib⁹, cõſequẽter ſcribamus
38 Eteſias appellant Philoſophi anniuerſarios vẽtos, ſtato anni tempore recurrentes: quos poſt æſtiuales verſiones, ab Vrſa (Sole Cancrum peragrãte) liquatis Boreæ niuibus ſpirare, cõtendit Ariſtoteles: flatúſque habere, per diem manifeſtos, per noctem verò obſcuros. Quanquam Seneca aliter, qua cauſa, viderint docti.
39 Eteſiæ noctu ferè deſinunt, & à tertia diei hora Peripateticis peroriũtur: ſpirántque à Bruma Ornithiis leniores, & paucis diebus perſeuerãtes
40 Ornithię vẽti ſunt Eteſiis ex oppoſito flãtes, poſt ſolis hyemales verſioẽs hoc eſt, poſt brumales ſolſtitiũ. Quod Ariſtoteles ĩ ſuo climate & cœlo agnoſcere potuit nos in noſtro (vt de ſuperiori) nõdum ſatis cõſtanter probauimus
41 Venti Ornithię ſeu Chelidonię dicti nomen habent ab auibus, & hyrũdine: que ſub illorum aduentum apparet. Plinio ſpirare incipiunt vno & ſe-

ptuagesimo die post Brumam.
42 Prodromi, sunt Aquilonum flatus: inde nomen habentes, quòd Etesias ventos nõ vnius tantùm cardinis sed totius ferè hemisphærij quod est inter Fauonium & Zephyrum (quemadmodum adnotauit Milichius in .2. Plin.) præcurrant alijs inter ortum seu Subsolanum & Boream. Atque hæc de vniuersali ventorum ratione summatim scripta satis erunt. Repentinos ventos omnium maximè formidandos aggredior: modò tibi ostendero mirabilem esse omnipotentis Dei prouidentiam in ventis, pluuiis, & alijs meteoris. Nam quot ignibus, aut caloribus opus esse putas ad resiccandas vnius regionis pluuiosas superfluitates, tam in vrbibus quàm extra, longè latéque respersas quas vnus septentrionalis ventus, vnus item solaris radius, vna aut altera hora, ceu de spongia, absorbet, exhaurit, ac emulget? Quot aquarum dolijs, imò verò quot fluminibus opus esse dicas ad irrigandam, & humectandam regionẽ

vnam quam vna, aut altera hora, vel leuiſsimus imber vniuerſim & ex æquo madefacit, aſpergit, ſaturat, ac irrorat. mirabilis ſanè in altiſsimis Dominus, qui ſolus quæcunq; vult facit in cœlo & terra. Sed de his alibi. Supereſt vt promiſſum, pro mea tenuitate, nunc demum hîc explere ſatagam.

DE REPENTINIS QVIbuſdam ventis & violentis, ob idque periculoſis & formidādis.

EX VENTIS, quidam repētini ſunt nuncupati, quòd magno fragore ſubitò oboriantur & ſubitò concidant: quorum mutationes & formæ variæ ſunt. Nā obducti nubium (vt ſic dicam) cute, diuerſis modis afficiuntur. Itaque ex his aliquot proferemus.

2 Flatus quidam eſt horribilis & repentinus, à Græcis ob incenſionem & inflationem πρηστήρ, à Latinorum pleriſque procella ardens, cœleſtis flāma, & igneus turbo vocitatus. Hic obliquè ſupra terram (vt incendium) vo-

litans, & terribiliter grassans, nunc arida robora, nunc vicos & oppida, nedum sata ac syluas amburit & perdit. Igneam pluuiam nonnulli dixerunt, alij flagellum Dei: quo sæuiente incensam cum vicino pago, syluam ingentem, & in cineres versam (Dij talem prohibete luem) semel non sine stupore, dum iuuenis admodũ essem, vidisse memini.

3 Prester à fulmine hoc differt, quo flãma ab igne: nã ille flatu latè funditur: hoc verò impetu cõglobatur, vtrobiq; tamẽ ardor & incendiũ reperitur.

4 Ecnephias ventus est procellosus, & mirandum in modum tumultuosus: magnus insuper & continuus, motu recto ac violento deorsum ruens: quo vno à Typhone (de quo statim) maximè differt. In hunc effusum acetum, præsentissimum remedium esse, à Plinio scribitur.

5 Ecnephias, procella quandoque dicitur: éstque ventorũ omnium acerrimus. Nam propter materiæ crassitiẽ & spissam exhalationem, aërem obscu-

rat

rat ac percellit: qui non fusus, nec per apertum (vt alij) venit, sed laborans, & iter sibi vi ac pugna parans, necnon ex alto supra terram obliquè prorumpens, Cæterùm, ille id esse fertur inter ventos, quod inter pluuias nimbus Nubibus & vaporibus inclusa exhalatio arida & à coactis supernè nubibus, summa vi versus terram detrusa Ec nephiam ac procellam facit, validos & furentes ventos è nubibus iaculatos, omnia perflantes, ac seuissimè perdentes.

6 Typhon, Græcis πνεῦμα πυρῶδες dictus, hoc est præceps & ignitus spiritus, ventus est locum ex loco mutans, & rotatim deorsum irruens: qui flantibus Aquilonibus, secum aliquid nubis conuolutim deducit: à qua nō potest se explicare.

7 Typhon præterquam quòd cuicunque rei inciderit, eidē vim infert: homines etiam & pecora in altum nonnunqam attollit, ac arbores & saxa in syluis torquens sternit: nauigiáque cōfringit, ac in sublime rapit.

8 Typhon, Plinio, Vortex, alijs Turbo, & vibratus Ecnephias, de nube gelida (vt dictum eſt) abruptum aliquid ſæpenumero ſecũ voluit, ruinámque ſuam illo pondere aggrauat: quem, repentinum flatum à nube prope terram & mare depulſum, definiuerunt quidam: vbi in gyros rotatur, & proxima (vt monuimus) verrit, ſuáque vi ſurſum raptat.
9 Typhon illiſu ipſo repercuſſus, correpta in cœlum ſecum aufert: ac in exceſſum, niſi magna fuerit reſiſtentia, ſæpenumero perfert.
10 Typhon ardentior, accenſúque dum fuerit, Preſter vocatur: contactu amburens pariter ac conterens.
11 Typhon ab Enecphia hoc differt, quòd ille latiùs & altiùs vagatur: fitque ex ſubtiliore materia, & abſque diuulſione continuè perflat. Hic humiliùs & anguſtiùs diſcurrit, ex ſpiſsiore materia diſcontinuè graſſans, & obuia quæque mouens ac exagitans.
12 Typhon ſeu Turbo, plerunque fit â duobus pluribúſve contrariis ventis
&

& obliquè ſpirantibus, in anguſtis arctiſque locis (vt ſunt angiportus) plurimùm ſeſe prodens ac vigens.

13 Typhon ob vehementem impulſionẽ, quandoque inſtar ardẽtis rotæ in gyrum agitatæ incenditur: arbores & nauigia prodigiosè cõficiẽs. Quod ad πρηστῆρα quidam detorſerunt, quorum materia ferè eadem eſſe cõſueuit.

14 Turbo ventus, ab aliqua mundi plaga certò præſcripta ſpirare minimè deprehenditur, ſed è nube deuolui: quoties ſcilicet oppoſiti venti duo, ex oppoſitis nubibus egreſsi, concurrentes impetu magno & perualido commiſcentur, ac de victoria inter ſe concertant. Quanquam de vnius vẽti eliſione ad anguloſum aut cauum aliquod obſtaculum, etiam Turbo fieri poteſt: hoc à vortice Pliniano, ſeu Ecnephia differens, quo ſtridor à fragore.

15 Turbo ab vno vento nonnunquã emittitur: quãdo videlicet in cauo aliquo, vel anguloſo loco eliditur, in quo (perinde atque ſi aliquis ex oppoſita

parte reluctaretur) conuoluitur. Qui quod eundem sæpius locum ambiat, ac se vertigine ipsa cōcitet, Turbo dici consueuit: quem cum Typhone cōfundunt Philosophi.

16 Non fit aquilonius Typhon, nec niualis: sicuti nec iacente niue Ecnephias. Et hæc de ventis vniuersim & particulatim (quod ad meteorologum attinet) satis erunt. Reliquum est, vt ad Hydrographorum & hodiernorū nautaram ventos, commodū me cōferam: ne quid tibi negatū esse dicas.

VENTORVM DISTINCTIO, nomenclatura & situs, ex recentiorum Nautarum & Hydrographorum placitis.

HACTENVS ventos de antiquorū sententia duodenario numero distribuimus: fecimúsq; quatuor, reliquorū veluti principes, à quatuor mūdi cardinibus, æquinoctiali oriēte & occasu, necnō meridie & septentrione, flatu recta (quoad eius fieri

fieri poteſt)procedentes:& alios inſuper duos horũ cuilibet ſociali vtrinq; fœdere iunctos: pro maxima Solaris exortus & occaſus (vt loquuntur)amplitudine.Nunc oſtẽdere ſupereſt,quo modo recẽtiores nautę & Hydrographi (maximè qui quotidie Oceanum aquarum parentem explorant) vniuerſum Horizontis ambitum, contra antiquorum præſcripta, in ordinem duorum & triginta ventorum appoſitiſsimè (quod ad rem nauticam & Hydrographicam attinet) diſtribuerint. Qua in re hîc mihi monendus es nautas priſcos Mediterranei maris & Ægei(quod Archipelagus incognita Oceani, vaſtitate nuncupabant) cum hodiernis Oceani naucleris in ipſis cardinibus duntaxat cõuenire,in alijs non item.Nã recentiores naute, inter quatuor angulares ventos, hîc rei & doctrinę cauſa à nobis Reges & principes nuncupatos, rurſum quatuor (cuiqui ſpatio inter duos cardines, vnum) inſeruerunt, quos præcipuos inſcripſerunt: nos mutuata à Vitru-

uio voce Medianos: quòd ab ipſis car dinibus medij ex æquo ſtent ac diſtẽt: factúſque hinc fuit octonarius ventorum numerus. Deinde, aſcititiis illis quatuor Medianis, alios rurſum vtrinque duos (Collegas ritè appellaueris) comites adhibent: qui cum octo prioribus, ſexdecim conſtituunt. His inſuper (octo inquam poſtremis) laterales itidem vtrinque duos alios opponunt inſigniorúmque ventorum Quadrantes nuncupant: quorum omnium aceruus, ventos duos ſupra triginta, ad vnguem exprimit: vt quatuor ſint Reges, & quatuor Mediani, regibus hinc inde medio ſpatio aſsidentes: adhæc Collegæ octo, & ſexdecim Aſſeclæ, illis paſsim intertexti. Quod mea ſententia, temere haudquaquam factum exiſtimabis. Nam flatuoſam & lateraliter motam ventorum materiam, à dato quocunque Horizontis puncto, viam ire & redire poſſe, nunquam negabit rerum naturæ candidatus, nedum Philoſophus conſummatus.

Iam

2 Iam quod ad nauticas ventorum istorum appellationes attinet, paucis impræsentiarum hæc à me candidè, vt omnia, accipito. Quatuor Regibus (cardinales si placet nuncupa) propria nomina, non dico Græca, Latina, aut Hebræa, sed pro cuiusque nationis libertate, domestica & patria indiderunt naucleri: ex quorum nomenclatura vtrinque collecta, denominationes Medianis ipsis (vt statim dicemus) apposuerunt. Rursum, ex binis Regiorum & Medianorum appellationibus simul iunctis, his quos Collegas vocauimus, nomina aptauerunt: sed ita, vt angulus illis proximior, locum in denominatione primum, iure suo (quemadmodum postea audies) rite sibi vendicet. Postremò, quos Quadrantes dici adnotauimus, partim à cõiuncto primario, partim à socio, addita quarti voce denominarunt. Quæ omnia in Hydrographicis chartis (marinas appellant) propriis lineamentis, coloribus & nomibus obscurè, & (ne locorum nomi-

nibus

nibus obſcurè, &(ne locorum nomina confuudantur) ſuperficiariè diſtincta ſi animaduerterem, rerum Hydro graphicarum ſtudioſis adprimè conſultum gratularer. Sed verba, ſi placet, in exemplum conferamus.

3 Cardinales venti Regij & principes, hanc habent nomenclaturã. Subſolanum in Orientis Æquinoctialis angulo triumphãtem, noſtrates Oceani nautæ, hoc eſt Gallici. Eſt, nũcupãt: mediterranei maris exploratores, Leuantem. Fauonium in occidentis cuſpide ſedentem, illi Ooeſt, hi Ponentẽ. Auſtrũ meridionalẽ, illi Suede, hi Marinum, & Auſtrum. Boream Septentrionis cardinem regẽtem, illi North, hi Tramontanam.

4 Rurſum, ventum qui inter exortũ & meridiem æquis ſpatiis reſidet, vnde Medianum inſcripſimus, Suede illi, hi Syrochum dixerũt. Qui inter Oriẽtem & Septentrionem medius eſt, illi Northeſt, hi Græcum. Qui inter occaſum & Septentrionẽ, illi Northweſt, hi Maeſtrum, Poſtremò qui ab occidentis

dentis & meridiei angulo ex æquo distat, illi Suedwest, hi Garbinum & Labechium.
5 A iam dictis octo (nimirum Regijs quatuor, & Medianis totidem) ipsis intermediis, quos Collegas vocauimus, nomina hunc in modũ rursum indiderunt: Qui inter orientalem Regium, & Medianum, Boream versus collega statuitur, Estnorthest denominatur. Qui inter Medianum eundem, & Septentrionis angulum, collegam itidem agit, Northnorthest: alia tute excogitabis, & ex iam dictis facilè cõpones.
6 De his verò quos quadrantes dixerunt, ipsis Regijs, Medianis, & Collegis (vt monuimus) sparsim intertextos, id exẽpli habe. Eum qui inter North & Northnorthest, hoc est Septentriono lem Regium, & proximè Collegam, orientem versus intertexitur, North cum quarta Northest nũcuparunt: primam denominationẽ à principali vento proximo, secundam verò ab eo qui ad trium quartarum di-

diſtantiam ſubſequitur, implorantes. Quod ex figura, vt ars exigit, debitè extructa, ſibi quiſque facilè repræſentare poterit. Sed hæc (quod aiunt) extra oleam. Quæ quia ad Meteorologiam, & Ephemerides noſtras parum attinent, verbum non amplius addo. Dabitur fortaſſe locus iſtis fuſiùs, & accuratiùs dilatandis ac explicandis in noſtra Hydrographia, ſi quæ hîc tibi ex animo tradimus, grata eſſe intellexerimus.

FINIS TERTIÆ CLASſis Ephemeridum aëris perpetuarum, Antonij Mizaldi Monluciani.

EPHEMERIDVM AERIS PERPEtuarum Antonij Mizaldi Monluciani.

Classis Quarta.

TONITRVORVM causa & generatio.



ONITRV hanc habet generationẽ. Perlato vi cœlestiũ corporum ad mediam aëris regionẽ fumo duplici, vapore nimirũ & exhalatione: quemadmodum vapor in nubibus consistentiam à locis frigitate promptissimè vertitur, & addensatur, ita exhalationem superiora petere nitentem celerrimè includit, & veluti captiuam agit. Quæ in denso exitum indignabunda quærens, motu præualido nubis profundæ & cauæ, latera huc & illuc volitans, perstrennuè quatit

tit,& qua parte rariora ſunt,elidit: inceníáque celeri ſuo motu,& vi ignea, longè micat:atq; pro vtriuſque natura & denſi raríque varietate,ſonũ per aẽrem, varium ac planè expaueſcendũ ædit:quem tonitru maiores noſtri dixerũt.Aliter,tonitru eſt fragor æditus ex lucta vaporis & exhalationis in nube. Vel ex diruptione nubis facta per violentã expulſionẽ ſicci halitus & calidi, in ipſa vaporoſa & frigida nube incluſi.Vel,vt Plinius habet,fragor factus ex plaga compactorum ignium è nube erumpentium.Tonitru itaq; erit nubis ictæ & percuſſæ ſonus : omnia adeò grauiter interdũ perturbans, vt cœlum terræ miſcere videatur. Nam quum in nubem natura humidã,procelloſi,& ignei, impetuoſique halitus multi ſeſe intruſerunt,& vt captiui,obſides ibi facti fuerũt, inualeſcente qui illos agebat ſpiritu, & viribus congeminatis, exitum viis omnibus pertentãdo, nubem ipſam impetu perualido diſcindere, aperiréq; conãtur.Ex quo fit,vt incurſiones admodũ violentæ,

&

& turbulenti ex resistẽtia impetus cũ prodigiosa agitatione súsque déq; illic oboriantur. Quorũ indicatio horrẽdo cũ bõbo, & mugitu planè stupendo ad aures vsq; nostras, per mediũ aẽrẽ se terribiliter prodit, ac insinuat. Qui mugitus, aut, si placet, sonus, ab antiquis nõ solũ tonitrus, sed & tonus etiã dictus fuit: à quo attoniti nomen habẽt: ac si dicas tonitru perculsi, vel afflati. Hęc vera est soni tã horrẽdi, aut, si mauis, tonitrui generatio. Quæ admirationem exiguã habere debet: quũ etiã in Castaneæ cortice, veluti in nubecula, modicus vapor inclusus, simile nescio quid moliatur. Adhæc halituosus puluis in bellicis machinis clausus, motus ac incẽsus. Quæ machinæ, ecquid per Deos immortales, habent corporis, quid virium, quid proportionis, cum nube ingentissimos quosuis mõtes exuperante, vaporúmque & flatulentorum halitum, tota, vt sic dicam, dolia circumferente? mirabilis sanè in altis Dominus: mirabilis, vt postea dicemus in tonitru, fulgure ac fulmine,

quæ facit verbum eius.

CORVSCATIONIS causæ & generatio.

CORVSCATIO, fulgur, fulgetrum, ſeu fulguratio, aliud nihil eſt, quam apparitio ſubita halitus ſubtilis & inflammati ex tempore per aërem diſcurrẽtis ac vaneſcentis. Aut vibratio luminis ſeu flammę, quæ fulmen futura erat, ſi plus virium ac materiæ habuiſſet. Erit itaque Coruſcatio, lumen inflammatæ exhalationis per nubis latera expulſæ, & excuſſæ: quã fieri tibi proponimus ab halitu: valido impetu perruptæ nubis latere deorſum micante, & ſubtiliter in aëre, ardente: qui priùs cerni ſolet, quam tonitru audiri: licet ſecundum naturam poſterior ſit: quemadmodum docebimus.

FVLMINIS CAVSÆ & generatio.

FVLMEN fit quando halitus ſiccus, & nonnihil viſcoſus (vnde compoſitus vapor quibuſdã nun-

cupatur) multo motu & varia agitatione, conciliato æſtu in nube percoquitur, & in ferream, aut lapideã quãdam maſſam coit. Aliter, fulmen eſt exhalatio ardens, è nube vaporoſa (tenuis eſſentiæ ſpiritu præeunte, & ſequente) deorſum violenter iaculata. Vel ſpiſsior halitus à frigidis vaporibus conglobatus, magna vi & fragore de nube erumpens, & vſque ad terrã deſcendens, corporáque ibi reperta, dura & ſolida, motu, lumine, ac afflatu, percellens, diſsipans, & variis modis (vt poſtea dicemus) abolens, contorquens, atterens ac diſpergens.

SIGNA TONITRVOrum, Fulgurum, & Fulminum.

SOL manè aut veſperi per æſtiuos dies, adhæc initiante Autumno, & procedente Vere, caua in nube, & grauida : cùm inſolito calore viſus, cœlum grauiter tonaturum minatur.

2 Traiectiones ex quatuor mundi

angulus (exargente à meridie atra nube) vastè irruentes: tonitruorum & corruscationum, vel pro his ventorum prouentum magnũ, conspirante regione, & anni tempestate præsagiunt.

3 Si Typhon ventus turbinosus, Æstate, Vere, & Autumno, paleas, puluerem, & alia sursum de improuiso, densis nubibus obducto cœlo, raptabit: tonitrua, & quæ illa comitantur, proxima esse portendet.

4 Si Æstiui dies, & qui illos antecedunt Verni, sequuntúrque Autumnales, præter anni tempestatem incalescent: séque ad occasum (labente Sole) Iris proferet: tonitrua & cum fulgetris fulmina valde formidabis.

5 Signa ventorum, tempestatum, & pluuiarum quamplurima, à circulis, Paraheliјs, virgis, nubium natura, & aliјs quæ circa luminaria, vel alibi apparent, opportunis temporibus & locis (aëre quo dictum est modo incalescente) accidere si videbis; ad tonitrua, & quæ inde pendent (singula singulis, vt par est, miscendo) non

non ineptè transferre accommodaréque poteris: præsertim si Mars & Mercurius, vel cum his Iuppiter, luminarium eclypsibus, & magnis coniunctionibus, vel anno, aut eius quadrantibus præfuerint.

TONITRVORVM DEcreta per singula signa Zodiaci, ex Mercurio Trismegigisto, & Leopoldo Austriaco.

SI LVNA in Ariete versante, primos Tonitruorum strepitus exceperis, herbarum abundantiam, necnō hominum angustias, eorúmque suspendia expectabis.

2 Si in Tauro, annona in montibus valde bona erit: in vallibus pauca: cū vini & pecoris multiplicatione.

3 Si in Geminis, pluuiæ multæ ac grandines aderunt: frumētum ac legumen copiosum erit, aues paucę, & reptilia multa.

4 Si in Cancro, emerget fames, &

populi commotio, cum fructuum deuastatione à locustis, & pluuiis putrefacientibus.
5 Si in Leone, seditiones mouebũtur inter regna: annona cara erit, & sub finem anni populi seditio, & magni alicuius viri mors expectabitur.
6 Si in Virgine, hominibus insidiabuntur feræ: atque animalium quadrupedum valde timendus erit interitus.
7 Si in Libra, annus circa sua initia siccior erit: sub finem humidus cum annonæ caritate.
8 Si in Scorpio, parca erit vindemia, pisces & pecudes morientur: fœminę, abortient: & venti validè perflabunt.
9 Si in Sagittario, cõgruæ pluuiæ descendent, præliabuntur Regum domestici: & decidui erunt arborũ fructus.
10 Si in Capricorno, gentes quàm plurimæ dispergentur: ac tristitiæ in multorum cordibus altas figent radices, grassabitúrque pestis alicubi.
11 Si in Aquario, pluuiæ erunt magnæ, & motus in populo maximi.
Adhæc

Adhæc terroribus variis percellentur mortales: agitabitúrque aër ventis morbificis.

12 Si in Piſcibus, formidabilis erit ſiccitas, & ſuo tempore gelu: fructus deficient, vinum abundabit, ægrotabunt homines, ſed pauci morientur.

13 Animaduertendum, quòd ſi in ſecundo ſigno à primo tonabit, abolebitur primi ſignificatio: ſi in tertio, primi & ſecundi: ſi in quarto, præcedentium, & ita deinceps.

TONITRVORVM EX quatuor mundi partibus ſurgentium, vel auditorum, portenta, ex Beda Angloſaxone.

AB ORIENTALI plaga exorta prima tonitrua, in anni ipſius circulo, ſanguinis copioſam effuſionē præfigurāt.

2 Ab Occidentali, mortalitatem, peſſimámque peſtilentiam.

3 A Meridiana, incolas pelagi magna clade morituros.

4 A Septentrionali, malorum hominum cladem, multorúmque euersionem.

TONITRVORVM PER duodecim menſes anni prognoſtica ex eodem.

IN MENSE Ianuario ſi tonitrua percrepant, in anni ipſius ambitu multos homines cum pecore eſſe morituros protendũt. Adhæc, ſyluarũ ac nemorum infructuoſam ſterilitatẽ.

2 In mẽſe Februario prima tonitrua audita, aurium infirmitates & capitis ſignificant.

3 In Martio, mortalitatẽ atq; terrores multos, ac ſi extremus dies adeſſet.

4 In Aprili, ſeminibus ac frugibus periculum imminere portendunt: & inter vndas vaſti pelagi nauigare valde periculoſum indicant.

5 In Maio, pluuiam copioſam frugúmque ac fœni nimiam ſterilitatem prænuntiant.

6 In Iunio piſcium diuerſi generis diuerſam multitudinem, & vndas fluminum metuendas declarant.

In

7 In Iulio, hominibus magnum imminere mortis periculum, & arboribus ſterilitatem præſignant.
8 In Auguſto, pelagi piſces per turmas abſq; generatione morituros indicāt, cū noxia ſerpētini gñis eruptione.
9 In Septēbri, copioſam populi multitudinem ex hac vita migraturam ſignificant.
10 In Octobri, infra anni illius circulū validiſsimas aëris procellas, atq; ingētiſsimos vētos, emerſuros pręnūtiant
11 In Nouembri, nimiam, ouium infœcunditatem, ſterilitatémque imminere, ex alto quaſi tuba præcinunt.
12 In Decembri, nullum malum hominibus, ceteríſque animalibus aut frugibus præfigurant: ſed proſpera, atque ſalutaria omnia.

TONITRVORVM PRÆfigurationes per ſingulos dies hebdomadæ ex eodem.

SI in quolibet anno tonitrua die Solis, vel Dominico, primū per crepuerint, clericorū ac ſacrarū

virginum mortem designare tradunt.
2 Die Lunæ, turmas coniugum esse morituras, frugésque passuras.
3 Die Martis, magnificam copiosissimám que frugum abundantiam.
4 Die Mercurij, scorta ac meretrices fatuásque fœminas, per agmina catervatim morituras: aut humani sanguinis copiosam effusionem.
5 Die Iouis, multiplicem frugum terræ abundantiam, atque incolarum pelagi prosperitatem.
6 Die Veneris, Regis interfectioné: aut validissimum bellum, multorúmque stragem, vel pecora magno numero moritura.
7 Die Sabbati, aut Saturni, ingẽtem pestilentiam grassaturam, vel validissimnm bellum venturum designant.

TONITRVORVM PRÆsagia, per duodecim Menses anni, ex Leopoldo Austriaco.

IANVARII tonitrua, ventos validos, & frugum abundantiam promittunt.

Febru-

2 Februarij mortem multorum, & maximè diuitum.
3 Martij, ventos validos, frugum abundantiam, & lites in populis.
4 Aprilis, annũ bonum & iucundũ.
5 Maij, famem.
6 Iunij, frugum & annonæ copiam.
7 Iulij, annonam bonam, sed pomiferarum arborum detrimentum.
8 Augusti, reipub. prosperum statũ, sed ægritudines multas.
9 Septembris frugum abundantiam, & potentis viri occisionem.
10 Octobris, ventos validos cum annonæ & fructuum inopia.
11 Nouembris, frumenti largum prouentum ac hominum hylaritatem.
12 Decembris, annonæ abundantiam & in populo concordiam.

TONITRVORVM SIGNIficationes per. 12. signa Zodiaci ex Zoroastre, autore Cass. Dion Vtic. lib. primo Geopon.

SI PRIMA tonitrua post Canis exortum contigerint Luna in Ariete versante, consternatos

& dubię rationis quosdam in regione illa futuros significant: Adhæc timores hominúmque fugam, postea verò quietum statum.
2 In Tauro, frumenti & hordei corruptionem, locustarum prouentum, & in regia aula gaudium.
3 In Geminis, turbas & morbos, frumentique corruptelam.
4 In Cancro, hordei vitium, boum stragem, & circa Martium ac Aprilem pluuiarum copiam.
5 In Leone, frumēti ac hordei in mōtanis perditionem, pruritúmque & impetigines.
6 In Virgine, regis interitrum, nauigantium periculum, & circa sata rubiginem.
7 In Libra, plagarum multitudinem, bella & fructnum corruptionem.
8 In Scorpio, famem & volatilium vbertatem.
9 In Sagittario, migrationem populi alicuius, in montanis frumenti copiā, in campestribus corruptionem.
10 In Capricorno, pluuias, regis dolum

lum fructuum abũdantiam, & excellentium virorum mortem.

11 In Aquario, bella horrida in maritimis, fructuum vbertatem, leguminum penuriam, & vini ac olei abundantiam.

12 In Piscibus, modicum frumenti corruptionis, & viri alicuius potentis mortem.

TONITRVORVM NAtura, Differentiæ, Accidentia, Effectus, & alia.

NVBES per tonitrua admodum nigricãs, quia ob spissitudinem, contentum halitum fortiter comprimit, sonum, propter diuulsionis contumaciam, perhorrendum (præsertim si internus fumus copiosus erit & densiusculus) emittere prona est.

2 Nubes ex nigro rubescenes, quia de se densa valde est, & ignitum vaporem multum habet, ideo validiorem ictum quàm nigra, plurimùm incutit.

3 Nubes cum nigro rubore virescẽs omnium pessima est, & mirandum in modum, si super ciuitatem aliquam, vel domum perpẽdicularis steterit, formidanda: quia ob ruborem, ignei halitus multum habet: ob nigrorem, vaporem copiosum addẽsatúmque propter virorem, aquam ingentem. Ex quibus frigidi cum calido, & humidi cum sicco pugna perstrennua, & velitatio insignis sursum est expectanda. Ad quæ accedit, quod nubes talis, enormem grandinem, & prodigiosorum lapidum fulmina, non sine hominum & pecorum, vrbiúmque, ac rerũ aliarum iactura graui, sæpenumero minatur.
4 Nubes per tonitrua albicans, nihil aut minimùm est timẽda: quia vtriusq; materiæ pauxillum habet.
5 Tonitru sine coruscatione tum maximè fit, quum sola nubium ventosarum inter se est collisio & lucta. Coruscatio verò sine tonitru, quando in tenui nube, rara & minimùm aquosa, attritu suo & motu, necnon ingenita vi
ignea

ignea, exhalatio ipſa incenditur, & viam nacta, foras proſilit.
6 Ante magna tonitrua, validos ventos & fortes plerũque ſpirare obſeruatum eſt: nimirum ob turgidæ nubis compreſsionem & commotionem, halituúmque in aëre agitationem.
7 Quia per creberrima tonitrua, halitus putres, craſsi & viſcoſi ſurſum cũ vapore & exhalatione per infimum aërem ducuntur: & illius tractum corrumpentes, iterum deorſum refunduntur: ideo grauiſsimam peſtem, ac luem hominibus, pecori item, & ſatis quibus veſcimur, creberrima tonitrua hinc minitari, cum libris fidem facit experientia: temporis filia.
8 Per tonitrua, dilacerata nube bombus tam vehemens & inconditus plerunq; fit vt pullos in ouo & fœtum in grauidarum vtero quandoq; perimat.
9 Tonitru validiùs perſonãte, nõnullos peregre proficiſcẽtes, ſurditatẽ incurriſſe obſeruatum eſt: nec mirũ: nam excellens ſenſibile (vt loquuntur Phyſici) ſenſum lædit, obtundit, & plerũq;

abolet. Quod etiam accidere videmus his qui moletrinis, & ferrariis fornacibus, necnon campanilibus, & locis quales sunt historiographis Nili κατάδουπα, iugiter assident.

10 Tonitru vehementer crepitãte, vina ὀλιγόφορα, hoc est paucam aquam ferentia (maximè per Æstatem & Autumnum) vapescere, aut alienam qualitatem adipisci, experientia constat. In quam rem, ferrum doliis supra positum, amuleti loco ex Zoroastre nostrates habent OEnopolæ: aut lauri stipites, vel ramos.

11 Tonitru vigente, pluuia si minùs præsens est, saltem propinqua esse nobis plerunque indicatur, pro soli, cœli & partis anni natura.

12 Mineralia quæ cum Tonitru, vel potiùs fulmine decidunt, adeò sunt exsiccata & torrefacta, vt ne igni quidem liquescere, nec in opus fabrile venire possint: quin potiùs in cineres abeũt: cuius rei testes mecum quàmplurimos citare possem.

De

DE CORVSCATIONE seu fulgure, & eius natura, differentiis, accidentibus, effectu, & alijs.

CORVSCATIO secundũ naturam tonitru posterior est, licet ante percipiatur: eo ꝙ visus à suo (quod dicunt) visibili momento immutetur: auditus à sono non nisi in tempore: nam terreus magis est, licet aërẽ natura referat, perinde atque ille ignem, quo nihil agilius. Quod in his qui procul ligna secant apparet: nam priùs securim, etiam secundò sublatam videas, quàm præcedentem ictum auribus assequi possis. Quanquã ad obiectum potiùs quàm ad sensus referendum putant multi.

2 Quamuis exhalatio, coruscationis materia, insita sua leuitate, sursum ferri nata sit: deorsum nihilominus mittitur: cùm ob antiperistasim, tum ob mediæ regionis aëris densitatem, & nubis obstaculum: quæ frigido agente, spissior est: quàm vt fumis incensis

viam

viam ad altiora faciat: quapropter deorſum, contra propriam naturam, illos deerrare cogit.

3 E nube quandoque exit effumatio ignea & halituoſa, ſine ſtrepitu inflãmata: quæ in aliam nubẽ valde aquoſam & dẽſam inuehitur: vbi extincta, non tam ſonum magnum, quàm leue quoddam murmur & ſtridorem inſtar candentis ferri efficit, dum in frigidam mittitur.

4 Si exhalatio coacta, non ſatis in vnum creata, ſed paſsim diſperſa, per nubes accenſa eruperit, fulgura tantũ efficiet, vel cum his leuia tonitrua.

5 Coruſcatio alba & lucida ex ſubtili halitu & raro, de nube minimùm aquoſa, proſilit. Vnde vehemẽtem calorem & inflammationem non ſuſtinet: nam preſſum ignem nubes ipſa non gerit: propterea corpora quæ attingit, nihil aut parum adurit: radio magis quàm igne lædens: ex quo non nullos tantùm afflaſſe, alios verò excæcaſſe vidimus. Nec eſt omittẽdum, quòd fructibus & parùm foliatis racemis,

cemis, nonnihil prodeſſe traditur, loco idoneo & tempore.

6 Coruſcatio fulua, ex fumo tenui ſic ſatis, & ſubuiſcido fit: in qua flamma rutilat, & calorem vehementem incẽdiúmque periculoſum (præſertim ſi deorſum feratur) præ ſe fert.

7 Coruſcatio rubra, de ſpiſsiore nube & bene fermentata effumatione, cũ terrifico ſono in prægnante aëre erũpit: cuius flamma, quia aliud nihil eſt quàm craſsiuſculi ſpiritus, proindéq; ægrè inflammabilis ardor & incendium, ideo perniciosiùs ſæuit: ſuas vires etiam per mediam pluuiam (res mira) prodigioſè exerens, Hæc ciuitates plerunque incendit, & ad interiora vſque, neglecta aqua (tanta eſt vis ignis illius cœleſtis) cum internecione violenter graſſatur.

8 Coruſcatio fumoſa & ſubnigra, terreſtris admodum eſt, & obſcurè, ſed tamen pertinaciter, ignita. In cuius nube, ſi humidum viſcoſum plurimùm inerit: inde lapis niger, fuſcus, vel ferrugineus fabricabitur; qui deorſum ia

culatus

culatus, obuios arborum truncos, etiã ingentes, e solidissima quæque, relicto vestigio, celeriter incẽdit, dissipat, scindit & abolet.

9 Coruscatio in nube lurida albicãs, flammam habet siccam & parum coactam: idéoque per aërem longè latéque magno cum impetu (ob nubis profunditatem & aquosam substantiam) spargitur, & celerrimè absque vllo ambustionis vestigio extinguit: quandoq; duntaxat lædit, præsertim si lenis fuerit illius impulsus: nonnunquam propter sui disgregationem vnum persequitnr, altero remotiore superstite: aliàs à pariete vno in alterum tantùm resilit, atque ibi vanescit.

10 Fortem Coruscationem & cum pluuia frequentem, arborum, ac vinearum, rerúmque aliarum flores, plerunque læsisse, nonnunquam duntaxat decolorasse, adnotatum obseruatúmque est.

11 Nonnullis placuit, fulgur cum tonitru fieri ex nubium in aëre concertãtium, cõcurrentiúmq; collisione (vẽtis

huc

huc & illuc sese cũ illis obliquè agitã-
tibus) in modũ silicũ duriorũ, quorũ
attritu ignis elabitur. Sed hoc falsissi-
mum esse satis supérque arguunt nu-
bes corpora merè aquea, quæ veri ig
nis (qua nubes sunt) ne micam quidẽ
sustinẽt. Quanquã negare nolim, hanc
ventorũ & nubiũ luctã fulgurãtis ma-
teriæ exagitationem adiutare posse.
12 Spiritus in nube discurrens, im-
petum facit & sonum : ab ea verò e-
labens, coruscationem: qui si in nube
æquali copiosus erit, æqualem sonum
& continuum, mugitibúsque persimi-
lem molietur. Si verò in nube inęqua
li abundabit, nonnihil de tumultu &
violentia (si continuitatem spectes) re-
mittit: ac sonum inæqualem ædet. Ad
quæ accedit, quòd si in vesicæ modũ,
interim dum elabitur ignita exhala-
tio, nubes ipsa elidetur, sonum admo-
dum acutum pariet: quo homines at-
toniti concident, & veluti exanimati
prosternentur.
13 Cum Coruscatione & fulmine
maximè dum rupta nubes vt cloaca
sese

ſeſe deorſum exonerat) putres multi ſpiritus,& teterrimæ peſtilentéſq; materiæ vna exiliunt: quæ in vites maturas,fruméta,& arbores iaculatæ, illas inficiunt:& veſcentes,occulta cauſa & ſyderatione ſenſim perdunt:quod monuiſſe multis profuit.

14 Coruſcatio de nube vireſcente & profunda erumpens:quia commiſtionem terreſtrem habet, dum nubis corpus prætergreditur,in contactu & trãſitu humido remiſta, in ſubſtantiam nonnihil ſolidam,& preſſum compactùmque ignem, periculoſiſsimè quandoque tranſire ſolet.

15 Coruſcatione ſub dio in cõniuentibus oculis recepta: excæcatos multos audiuimns,nec temere: nam excellens viſible (vt antea eſt adnotatũ) viſum corrumpit.

16 Mirum non eſt exhalationem in nube agitatam incendi, & ignes concipere: quum per domorum incendia ſępenumero videamus craſſos fumos exilientes, & inuicem luctantes, ignẽ facilè admittere,qui ædes etiam remo

tas

tas plerunque incendunt: quod in Ephesino Dianæ templo se probasse, testis est Aristoteles.

17 Noctu magis quam interdiu, sine tonitru fulgurare experiundo disces: quia materia exhalans, etiam à nocturno frigore κατε ἀντιπερίςασιν etiam incendi potest.

18 Fulguratum locum & fulmine ictũ religiosum putauerunt antiqui: propterea quòd eum de multis Iupiter, cui sacrata suut fulmina, sibi delegisse videretur. Sed hoc ad fulminis Aphorismos relegandum erat, cum sequenti.

19 Piscium, pecudum, imò verò animalium ferè omnium, fulgure aut fulmine interemptorũ, carnes venenata qualitate prȩditas esse, nõ tam est scriptum quam obseruatum.

20 Coruscatio sæpenumero Tonitru nescit: quandoque agnoscit, & tunc pluuiam designat magis. Queis addes, quòd cum Coruscatione rarissimè esse solent & nix & pruina.

FVLMINIS DIFFERENTIÆ, Natura, Effectus, Accidentia, & alia.

FVLMEN cōmune nomen eſt ad omnem exhalationem quæ ardens ex nube erumpit: peculiare tamē facere mihi videntur Philoſophorum plerique, ad eam exhalationem quæ denſata & conglobata nubem longiore tractu pertundit, findit, diſrumpit, & terram violenter attingit.

2 Miracula ſunt (inquit Seneca) ſi intueri velis fulminis opera: nec quicquam dubij relinquentia quin diuina inſit illis verè potentia. Quod intellexiſſe mihi videntur Poëtæ, fingentes à Ioue & Vulcano fulmina in Æthna fabricari.

3 Fulmen inter alia miracula (quæ poſtea tibi deſcribemus) loculis integris & illæſis, argentum conficit: vagina ſuperſtite gladium liquefacit: inuiolato ligno ferrum circa pila (vt habet Seneca) ſtillare, & fracto dolio vinum

ſtare cogit quod bibentem aut furere facit, aut necat: ferratas equorum ſoleas intacto vngularum cornu excutit & alia quæ momento fieri tibi perſuadebis.

4 A fulmine homo vel brutũ quoduis ſic interficitur, vt nullum veſtigium ictus, plagę, aut vulneris appareat; fortaſſe ob vaporis accenſi impetum, & ſpirituoſam ſubtilitatem, eámque validam, quæ per nares, os, arteriarũ & venarum anaſtomoſes, & aperta hiantiáque oſcula, adhæc per cutem & carnem perſpirabilem ac vndique poroſam ſeſe intrò penetrans, mométo inſinuat, ac mẽbra vitalia peſtifero neſcio quo ſpiraculo afflat. Vnde venenata vi, quã fulmina omnia dicũtur habere, quicquid attingit vitã habẽs, illico interficit. Quod etiã ad pedẽ combuſtũ inperſtite calceo, & medullas arborũ corruptas illæſa arbore, aliáq; huiuſmodi prudẽter detorquere poteris.

5 A fulmine argentum cõficitur integro marſupio, & ferrum illæſa vagina, propterea quòd hæc & itẽ illud

poroſa

porosa sunt corpora: & proinde transitum facilem præbentia valido spiritui fulmineo, ac subtili: in quo si est vis tantùm feriendi, vt postea dicemus, ex magno impetu resistentia comminuet, si verò adurendi, liquefaciet. Huius sanè tanta est violentia, vt turres etiam operosissimas, ac ædificia prosternat: saxa ingentia rumpat, & quecunque habent duritiem euertat.

6 A fulmine retia in aquis iacentia quoque aduruntur, quia multùm sulphureæ, viscosæq; materię habet eius flamma: ita vt in aquam illapsa ardere possit, nacta materiam opportunam. Quod mirum non videbitur, si quis obseruet, quid nunc agant, vt sic dicã, Bombardarij cum suo puluere. Quorum sanè ars tota, aliud nihil est, quam quædam naturæ in fulminibus imitatio. Quæ fulmina eò plus habent virium, quòd ab artifice præstantissimo, & loco remotiore, æditóque magna vi & efficatia prodeant, erumpant, atque mittantur. Videmus quandam puluerum, oleorum, ac adipum miscellaneã in

in profundiſsimis aquis etiam ardere: cui quò plus aquæ affuderis, maius incendium excites. Nam aqua partim latentem & diſperſum calorem proritat, partim congregat & auget. Cuius rei ſimile habes in calce.

7 A fulmine dolium comminuitur, aut crematur ſtante aliquandiu vino ac ſi eſſet cõgelatum: propterea quod fulmẽ (vt diximus) plurimùm ſulphureæ ſubſtantiæ & viſcoſæ ſecum habet. Quę in totum vinum penetrando ſpargitur: deinde per calorem, quidquid tenax eſt, in vini extremitatem & circunferentiam expellitur: quod reſiccatum, & veluti recoctum ab igneo fulminis ſpiritu, cutem quandam efficit, quæ vinum breui aliquo tempore effluere prohibet: illúdque, ceu circũpoſitum corium retinet. De reliquis difficile non erit hunc in modum philoſophari.

8 Exhalatio arida in vnum addenſata, & conſtipata, vaporíque frigido in nube implicita, & remixta, magnáque vi ex alto deorſum exploſa, volu-

cres fulminum iactus, cum terrificis bombis, & horrendis mugitibus per aërem iaculari plurimùm ſolet.
9 Fulminum quoddam eſt non vrẽs, ſed ob ingentem materiæ pertinatiam tantùm diſsipans, & ſpirituum coactorum procelloſorúmque vim magnam ſecum rapiẽs: qui in poroſa corpora impacti, illa (priuſquam adurantur) conuellunt & diſpergunt. Nam ſpiritus, fulmine cuius eſt comes, velociter aliquantò exiſtit.
10 Alterum eſt infuſcans tantùm, & veluti fuligine quæ percuſsit intingens: ab Ariſtotele ψολόεις nuncupatum, ac ſi diceres fumoſum aut fuliginoſum. Id præ nimia ſubtilitate & raritate, antè euolat & penetrat, quàm adurere poſsit: mora tamen parua denigrat, & liueſcens veſtigium relinquit: cui ob ſynceram, purámque flãmæ tenuitatem, per anguſtum etiam fuga eſſe traditur.
11 Aliud eſt flammiferum: quod labens in corpora rariora (modo quo ſuprà) agit ac graſſatur: in ſolida impin-

pingens, illico diſſoluit, perdit & atterit. Greci poëta in ἀργῆτην dixerunt: Latini fulmen clarum, ignitum, & ardens, ἀντιτυπίσματα (vt loquitur Ariſtoteles) hoc eſt, vim aduerſandi & reſiſtendi habentia, omnium maximè ſæuiens, & certas ignium notas percuſsis inhęrentes relinquẽs. Cuius vis ſtupenda planè eſt, & occulti numinis, vt antea diximus, plenißima.

12 Fulmen & Fulgur materiâ non differunt, ſed potius formâ & modo. Nam fulgur leuius incenditur, & ſub nubibus altiùs micat. Fulmen perniciosè inardeſcit, motu vehementiore, ac vi prodigioſiore terras, & quæ in his contingit corpora non ſine pernicie affligtans.

13 Fulmen nullum ſine igne venit: ſed hoc propriè igneũ dicimus, quod manifeſta incendij ſigna imprimit vrendo, fuſcando, aut irradiando.

14 Fulmina ſono nubem nec frangunt, nec diuellunt, ſed plaga, & fragorem impetúmque faciẽte ſpiritu, in

nube (vt diximus) clauſo.

15 Fulmina Hyeme rara nobis eſſe ſolent, quia pauca tunc exhalatio coacta & obſeſſa in nube, calorem exiguum, & vi frigoris ſubitò extinguibilem cõtinet: Addam ex Plinio, quòd per Hyemem aër craſsiore nubium corio ſpiſſatur: omníſque terrarum halitus rigens eſt & gelidus. Hinc in Scythya & locis Borealibus, raro fulminare cœlum, credibile eſt.

16 Fulmina Æſtate, præſertim in calidioribus regionibus pauca fiũt: quia calidæ & ſiccæ vaporationes, diripiente ęſtu, in nubem denſari ægrè poſſunt. Ex quo fit, vt in Æthiopia & locis ad Crancri tropicum annuentibus ràrò fulminet Iupiter. Sed hæc ratio in Septentrionali noſtro cœlo & ſolo, infirma admodũ eſt: propterea quòd calor imbecillus ſic ſatis, omnem nubium materiam abſumere non poteſt. Vnde frequenter Æſtate hîc pluit tonat, & fulminat aër, pro præſenti cœli & ſoli ſtatu.

17 Fulmina Vere & Autumno creber-

berrima ſunt, iuxta cœli, terrarum, & partis anni conſtitutionem: quòd horum temporum ſtatus, plurimam materiam tam ſiccam quàm humidam, aëri præbeat. Qua ratione frequentia ſunt fulmina in quarto & quinto climate: in quibus ſemper quodammodo vernat & autumnat.

18 Fulmine venenatum animal percuſſum, venenum deponere tradunt. Cuius rei ſignum adferunt, quòd intra dies paucos vermiculare viſum ſit: quæ res, prohibente veneno aliter non fieret.

19 Certum eſt quiduis priùs quati & afflari: quàm fulmine percuti: nec unquam tangi: qui prior viderit fulmen, aut tonitru audierit.

20 Si vigilans animal fulmine percutitur, moriens clauſos oculos habet dormiens verò ictum, apertos: ex oppoſito iacens conuertitur.

21 Omne ictum fulmine, ſulphur olet capútque contra fulminis impetum verſum gerit. Idem de tacta arbore, aut planta ſenties, quæ diuulſos ra-

mos contra grassatum Fulmen prætentat.

22 Fulminis vi percussus homo, nisi conuertatur non expirat: nec vllum animal (nisi priùs tetro spiritu præeunte exanimatum fuerit) Fulmine accendi traditum est, & obseauatum.

23 Si ictu obliquo animal fulmine tangitur, in contrarias partes moriēs incubat. Si recto, aut diametrali, rectus subsidit.

24 Fulminatorum vulnera, reliquo corpore frigidiora esse deprehensum est: depopulata ex tempore calida, spirituosâque substantia.

25 Flatus quidam essentię tenuissimę fulminanda corpora mouentes, illorū dissipationem adaugere etiam probāt viua corpora, de sublimi loco cadentia: quæ à moto aëre, antè quàm terram pertingant, scissa & præfocata, sæpenumero visa sunt.

26 Fulminis impetum adiuuat aëris vis, & penetrabilis agilitas. Semper enim flatulentus nescio quis aër prætenuis

tenuis (vt diximus) & pręceps, fulmina sequi ac præcedere solet: qui priùs perimit, quàm sentiatur, aut videatur, nam agilis admodũ est, & coloris expers, atque corporis.
27 Martia Romana princeps, partu in vtero à fulmine (aut comite illius iam dicto spiritu) afflato illæsa, & (si veræ sunt historiæ) superstes euasit.
28 Telum fulmineum) lapidem vulgus nuncupat, & per antonomasiam fulmen (nunc cunei, quandoque globi nonnunquam pyramidis formam habere solet: cuius generatio est, dum exhalatio tam fulgurea quàm fulminea, in virescente aut nigricante grauida nube, cum quadam viscida & (penè dixerim) metallica materia à nubis circumfuso humore frigido conglobatur, superuenientéque calore intensissimo cùm Solis & stellarum, tum motus & antiperistasis, in solidũ corpus & lapideum induratur: non secus atque lateres, dum ex humectáto luto & molli, in lateritia fornace precoquũtur, & duri euadunt.

29 Chalybem ignitum, & huius plumæ mineralia, de nube cum fulmine cecidiſſe: fidem faciunt cum quotidiana experientia antiquorum libri. Cauſa eſt in vaporum permiſtione, lutulentáque & terreſtri necnon ſulphurea viſcidáque materia, à nubis igne, motu, & cœlorum radijs (qua nunc dictum eſt formula) excocta, & in ferream maſſam, aut chalibeam fermentata. Quæ res facit vt fulminatum omne (ſicuti antea adnotauimus) ſulphur oleat: quod cum hydrargyro metallicum eſſe elemetum nemo neſcit Philoſophus.
30 Fulmine non feriuntur Laurus, Vitulus marinus, & Aquila, Iouis fulminatoris ales. Vnde Tyberium Cęſarem lauro coronari ſolitum: & tentoria ex marinorum vitulorum pellibus compoſita ſubiiſſe, vt à fulmine quod ſupra modum metuebat, tutus eſſet, author eſt Suetonius.
31 Aduerſus fulmen remedio ſunt loca ſubterranea. Nam profundiùs quinque pedibus, terram ſubintrare non

posse tradunt: propterea, in abditum & altè concameratum locum, eundē Tyberium per tonitrua sæpenumero se recipisse, Historijs multis testatum habes.

32 Contra fulminum vim, & pro illorum auersione, plurimum valent bombardarum, & bellicarum machinarum crepitus: adhæc tintinabulorum Ecclesiasticornm, prȩsertim acutioris soni pulsationes: idque per initia, surgētȩ adhuc nube, & sese ad mugitus componente. Nam soni penetrabile nescio quid, habent: viresqne maximas obtinent, ad aërem citò, & celeriter petendum, atque nubes aliò, ob essentiæ tenuitatem, festinanter abigendum: nimirum propter aëris successiuam ex impulsione multiplicationem, ad tonantem vsque nubem sensim perlatā.

33 Fulmina ȩditissima quæque loca, & inter arbores Quercum, omnium maximé ferire & aggredi, quotidiana obseruatione constat. Hinc campanilia, turres, & mōtes, à fulmine κεραυνιοι dicti, crebris fulminibus (præter alia)

 im-

impetuntur: quòd obuij magis ſint, & nubis iniuriis in alto aëre expoſiti: vnde illas per inane diſcurrentes, de occurſu facilè excipiunt.

34 Fulmen venenata (vt dictum eſt) attingẽs, expurgat: omnéque animal, excepto homine, natura eum honorẽ (vt habet Plinius) illi deferente, illico interimit. Quod in Anchiſe adnotat Virgilius, Philoſophus ſummus.

35 Fulminis, fulguris, tonitru, necnon Ecnephiæ & Typhonis, de quibus antea, eadem ferè eſt materialis cauſa: differunt tantùm formâ. Nam halitus intra nubem nondum ruptam incluſus, & murmure intus colluctans, tonitru eſt: illam findendo aperiens, & veluti per hiatum ignem iaculãs, Preſter & fulgetrum: citra ignem, nube prorſus diſsipata erumpens, Procella exitu anguſto & meatu tortuoſo egrediens, cum ſpecu nubis profundiore, Vortex: cum minùs profundo, & exitu liberiore, Typhon: cum vero igni & conglobato, Fulmen. Sed de his ſatis: quæ omnia in hoc noſtro cœlo & cli-

climate, minùs contingere ſi animaduertis, mirari deſine: diſcéque ex Virgilio, quòd quemadmodum omnis non fert omnia tellus, ita nec cœlum vbique ſimiliter tonat, aut fulminat. Vtut ſe res habet, verè ab antiquis & recentioribus hęc tradita eſſe arbitror, & exactè obſeruata ingenuè credo. Id quod tu ipſe experiundo etiam ingenuè fateberis.

FINIS QVARTÆ CLASſis Ephemeridum aëris perpetuarum, Antonij Mizaldi Monluciani.

EPHEMERIDVM AERIS PERPEtuarum Antonij Mizaldi Monluciani.

Claſsis Quinta.

TERRÆ MOTVS generatio.



ERRE motus in hnuc fit modum: terra aquam multam in ſe continés, à Sole, & Stellis, necnon igneis corporibus, quæ non pauca intra ſe habet, excalfacta, ſpiritum multum concipit. Qui, quia ſubtiliſsimus eſt, ocyſsimus, ad impetum faciendum aptiſsimus, vagè per illius inania diſcurrés, quemadmodum ſua copia vehementer concutit, ita motum, & tremoré facilè parit. Nam dum collecta ſpirituum materia ſibi exitum molitur, & in proprium naturalémq; locum euolare, ſúſque, dèque contendit:

dit: quia dato forti obstaculo id asse- qui minus potest, alternatim & vicissim, nunc terram exagitat, nunc ab ea repercussa insilit: & donec euerterit, aut aperuerit, insignes luctas aggreditur, ac motus perstrenuos excitat. Sunt qui contendant terrę motum fieri à ventis contra naturam in cauitatibus, & spatiis terræ inanibus conclusis, validóque motu exitum, & proprium locum quo iure, quáque iniuria, non sine pugna, tumultu, & agitatione quærentibus, ac vi magna pertentantibus. Sed nos de his in sequentibus amplius sumus philosophaturi.

SIGNA MOTVS terræ.

IGNITA nubes columnulæ speciem in aëre præ se ferens, Callistheni Philosopho, trepidationis terræ signũ verissimum exhibuit.

2 Regio in quam vmbra Eclipsis luminarium conuertitur, terræ motui obnoxia esse plerunque solet. Idq; cer

tiùs, si defectus ipse in cauda Draconis continget, Qui quantò maior erit, & vniuersalior, tantò motus validior experietur: quantò minor, contrà.

3 Ante terræ motum, Sol diebus aliquot sine nube obscurus apparere cõsueuit. Adhæc post Occasum, facto silentio, ac vigente serenitate, nubeculam post se strictam & longam in aëre per nonnullos dies relinquere.

4 Puteorum & fontium aquas, ante terræ concussionem, absq; causa manifesta turbidas fieri, & salsugine, fœtoréve, aut alio ingrato, & nequaquam naturali sapore infici, primus explorauit Pherecides, Pythagoræ præceptor.

5 Nauigantes, futuros terræ motus coniectura non dubia sentire certum est, sine flatibus intumescente fluctu subitò, aut quatiente icti. Contremiscunt & in nauibus posita, æquè quàm in ædificiis, crepitúque motum ipsum prænuntiant.

6 Summam tranquillitatem, & ventorum silentium in regione terræ motui

tui obnoxia, menſes aliquot præceſſiſſe, antiquis obſeruatum eſt.

7 Nubecula in modum lineæ, longo tempore occaſum verſus gracilis, oblonga, & alba viſa, terræ agitationem anteuertere plerunque ſolet. Quo ſigno, Anaximander ſuas hiſce de rebus prſidictiones ſeriò Lacedemoniis aliquando confirmauit.

8 Cùm in aëre apparuerint vapores denſi, ſorma rotunda & longa in altũ erecti: vel inſtar ſtrictarum pyramidũ perpendiculariter in ſublime aſcendẽtes: indicabis huic regioni terræ motum in via eſſe: maximè ſi talia perſeuerarint.

9 Terræ motu aduentate, Sol ac ſi delinqueret, diu caliginoſus, & colore cum Cynthia ſorore quadantenus ſanguineo oblitus, à quamplurimis eſt conſpectus.

10 Aues cum quadrupedibus pleriſqne, loca ſuccuſſationi terræ deſtinata reliquiſſe, & nouas ac inſuetas ſedes quæſiuiſſe, tam eſt experientia probatum, quàm priſcorum

libris

libris testatum.

11 Nunquam intremiscunt terræ, nisi sopito mari, cœlóque adeò tranquillo vt volatus auium non pendeant, subtracto omni spiritui qui vehit: nec vnquam visa est cuiquam tellus trepidare, nisi post ventos in venas terræ & cauernas longè antè conditos ac receptos.

12 Præcedit motum terræ plerunque sonus terribilis, murmuri & mugitibus, aut clamori humano, armorúmve pulsantium fragori persimilis: sicuti hîc nunc demum ex ordine tibi ostendere, pro mea tenuitate, accurate satago.

TERRÆ MOTVS SPEcies, Natura, Differentiæ, Accidentia, Effectus, & alia.

MOTVS terræ species, quatuor duntaxt hîc tibi recensebimus. Quanquam Aristoteles in libro de Mundo plures habet. Vna ruina, arietatio, & casus vocatur. Senecæ Philosopho acutissimo

tiſsimo, & rerum naturæ perito, inclinatio: quando in vnam partem motus totus à copioſo ſpiritu, vi magna incumbente ſeſe impellit: & niſi celeriter ex altero loco ad reſtituendam inclinationem proſpiciatur, plerunque ſubuertit.

2 Altera hiatus nuncupatur, quando profundè terra dehiſcit: quod fit dum violenter & confertim erumpit ſpiritus validus ac vehemens.

3 Tertia agitatio, tremor, criſpatio & ſuccuſsio dicitur: Ariſtoteli pulſatio: quando terra veluti intumeſcens aſſurgit, atque rurſum reſidet.

4 Quarta ἀνώνυμος eſt: quando magna terræ moles montis inſtar extrà egeritur. Aut vbi terræ pars aliqua ſubſidet: ex qua aut flumina, aut ignes erumpunt. Peripatetici in τρόμον καὶ σφυγμόν, tremorem & pulſationem, quidquid id eſt, diſtinxerunt.

6 Tempora terræ motui dicta ſunt Æquinoctia, & quæ illa ſequuntur hebdomades aliquot: quia tunc (vt ſuprà monuimus) in terra & extra, ven-

rum

torum materia inualescit, pro Soli & cœli ratione.

7 Omnium terræ motuum tutissimus est, qui crispatio vocatur. Nam agitatio in aliquam certam partem violenter non incumbit. Post hanc periculosa minùs est arietatio, in qua motus alter alteri renititur. Periculum omnium maximum habent hiatus & impulsatio.

8 Nõ aliud est in terra tremor, quàm id quod in nube tonitru facit: nec hiatus aliud, quàm quum fulmen é nube erumpit, incluso spiritu luctante, & viam (qua data porta) in multorum perniciem, vi sibi redimente.

9 Terræ motus à tenuioribus spiritibus & raris facti, statim desinunt: à crassis, qui in meatibus & cauernis impacti hęrent, diutiùs perseuerant.

10 Sonus in terræ concussione pro flatulentæ materiæ qualitate, & cuniculi forma, per quẽ meat spiritus: exagitans, varius edi deprehenditur: perinde atque in tonitru.

11 Spiritus in terræ penetralibus tremo-

morem mouens, de vehementi collisione ad terræ latera (quomodo in nube exhalatio) totus aliquando flamma exire solet.

12 Secundum substantiam idem sunt faciens in terra motum, super terram ventum, & in nube tonitru. Exhalatio nimirum sicca fluens & agitata.

13 Spiritus motor in angustis locis cõclusus, exiliter sonat: in recuruis raucùm murmurat, & veluti mugit: in duris fremit: in humidis & stagnantibus fluctuat.

14 In siccis locis & arenosis, motus terrę rarior esse solet, quàm alibi, quòd solum vsqueadeo densè compactum non sit, quin fumi facilè, & sine vi ascendere, exiliréve posint.

15 Quemadmodum venti supra terram vim habent prævalidam robora etiam solidißima euertendi, & ædificia diruendi, adhæc, flatus in animalium corporibus, tremores, motus & distentiones excitandi, membra mouendi, concutiendi & diuellendi: Ita in terræ penetralibus, vires ad quidpiam

piam tale moliendum non infirmas, collectos ſpiritus adipiſci, certum eſt.
19 Si cum vento terræ motus non ceſſabunt, dies quadraginta, & quandoque anno, uel biennio vigebunt, quod antiquis ſæpenumero ob ſeruatum leges.
17 Motus terræ, fluuiorum oſtia terra per eruptionem iniectà, quandoque ita occludit & obſtruit, vt particularia locorum diluuia, & vrbium ſubuerſiones derepente attuliſſe, hiſtoriis proditum ſit.
18 In maritimis locis terræ motus pauciores quàm alibi ſæuiunt: quòd ilic ſolum non ita excauatum ſit, ob maris & aquarum incurſum, fluctuúmque eliſionem crebram.
19 Loca meridionalia, minùs quàm ſeptentrionalia, terræ motui opportuna eſſe tradunt: propter calorem qui illic terræ poros aperit, & quidquid eſt ventorum: vel ſpirituum in ambientem exhaurit. Quod in borealibus contrario ſe habere modo, cum experientia docet ratio.

20 In mõtuosis locis frequentiùs terræ agitatio timetur, quàm in planis: quia sub his cauernæ magnæ & spirituosæ plurimùm latent.

21 Circa antrosa (vt sic dicam) loca, ad quæ procumbit mare, tellus sæpenumero intremiscit: quòd mare spiritum molientem exitus, in sua penetralia remigrare cogit: qui postea viribus reparatis ad pulsandum & mouẽdum fortior euadit.

22 Fortis & diuturnus motus, quia meatuum terræ angustiam arguit, & spirituum multitudinem, necnon laterum terræ soliditatem & constantiã idcirco tardè cessare consueuit.

23 Autumno & Vere, per quæ tempora (vt monuimus) vigent fulmina, terras crebriùs moueri quàm æstate & hyeme, docet experientia: præsertim, dum æstus imbrem sequitur, vel contrà.

24 Motus terræ maximè fiunt matutini & vespertini, sed propinqua luce crebri. Interdiu, circa meridiẽ: in quo summa aëris tranquillitas esse consue

uitt

uit, vel commotio maxima.
25 Quandoque in terræ motu accidit aquarum ab impellente ſpiritu inundatio. Nonnunquam ignium eruptio, præſertim ſi in locis ſulphureis contingat: vnde multa ex tetro vapore, cum hominibus moriuntur animalia.
26 Tradit Seneca ſexcentarum ouiũ gregem motu terræ aliquando exanimatum fuiſſe: propterea quod peſtiferæ multæ qualitates ſub terra latent, quæ vna cum ſpiritu per motum & hiatum foras erumpunt, & aërem, nedum plantas & aquas inficiunt.
27 Terræ agitatio ob aduſtionem de motu natam, & terreſtre neſcio quid admiſtum, aquas erũpentes ſalſas plerunque reddit.
28 Terræ motus exemplum & imaginem habes in caſtaneis: quas ſi igni nõ aperto cortice admouebis, vaporẽ internum à tenuante calore extimulatum, tunicæ illarum latera concutere, tandémque impetu facto, perſtringere, & cum prunis cinerem ac ligna extra
focu-

foculum longè latéque proijcere, obseruabis.

29 Loca palustria, terræ motui nihil aut minimùm obnoxia esse scribunt Philosophi. Quod in celeberrimo illo Ephesiæ Dianæ tẽplo, ducentis & viginti annis, sumptu indicibili à tota Asia extructo, obseruatũ legesꝰ. Nam in solo palustri, ne terræ motum sentiret, iacta habuit fundamẽta. Sed heus tu! hominum consilia fatalis ignis, iactura irreparabili euertit.

30 Halitus, aut, si mauis, siccus vapor, terræ motum committẽs, calidus valde & rarus si fuerit: quandiu Sol materias tenuans supra nos versabitur, quiescet: per noctem, cõdensationis ratione, validior insurget.

31 Multi contingunt terræ motus, qui priùs non desistunt, quàm ventus vehemens & diuturnus emerserit: quibus comites (vt diximus) sese plerunque dant soni, ex constricta exhalatione, & varia locorum habitudine, per horrendi.

32 Post magnam terræ agitationem ingens

ingens hiatus quandoque remansit: ostendens quæ motus ipse sorbuit: aliàs compresso ore eadem occultans: solo ita inducto, vt nulla vastigia extent: vrbibus plerunque deuoratis, & agrorum tractu omni exhausto.

33 Terra sursum solida, & internè excauata, motui admodum obnoxia esse censetur: quia exhalationes occludit pertinaciùs, & in cauernis arctat diutiùs.

34 Insulas magno mari circundatas, & multùm ab arida remotas, trepidationi terrę minimùm opportunas esse exploratum est: quòd aqua exhalationes & spiritus ad motum ineptiores reddat.

35 Terra solida, limosa, tenax & argillosa, quia vacuum paucum habet, & ægrè à se inuicem diuellitur, rarò tremere consueuit.

36 Quum in vnam partem totus se motus impellit, aut, fluctus more, quędam fit volutatio, horrendum est valde & periculosum.

37 Terra metus in compactiore loco

& densiore contingens: eò quòd illinc difficulter erumpat tremefaciens spiritus, diutißimè durat, in solutiore & rariore, vanescit citiùs.

38 Terræ motus quandoque domũ solam, nõnunquam ciuitatẽ, aliquãdo totam prouintiam euertit. Qui ob subterraneum halitum, de loco vno in alium detrusum, & ibi compressum, vbique esse non potest.

39 Subterraneus spirituũ motus, terram quandoque tantùm agitat, nonnunquam subuertit: aliquando aperit & multis in locis perforat: aliàs vehit, impellit, deprimit & attollit. Quam diuersitatem ex varia occultorum spirituum agitatione, & locorum natura emergere credibile est.

40 Tutißimi sunt Plinio aduersus terrę motum omnem, ædificiorũ fornices, anguli quoque parietum, & postes alterno pulsu renitentes. Adhæc, parietes terreo latere facti: saxis, aut solidis lapidibus coagmentati, minùs.

41 Contra terræ motum remedium præbent cloacæ, & specus creberrimi.

Nam præconceptum spiritum exhalant, accedentibus multis ad eluuiem cuniculis. Sed omniũ præstantissimũ propugnaculum, & præsentissima salus, est Dominus, qui nõ dicam terrã sed nutu totum tremefacit olympum

SIGNA TEMPESTATIS ab his quæ in Cœlo, Aëre, & Terra, omnibus (nisi cæcis) apparent.

TEMPESTATIS nomine hîc aliud nihil accipies, quã aëris constitutionem ex aqua multa & vẽto valido: niue & vẽto: vẽto & grandine: vento fulgere, tonitru & pluuia: duobus, tribùsve, aut pluribus inuicem cõplicatis: sed nusquam sine vento. Quorum ratio, pro partis anni, & cœli, sólíque statu, facilè colligetur. Nam peculiares suas habet cõmotiones anni quadrans, & terrę tractus quilibet. Quanquam nõ sum nescius pluuiã simpliciter magnam, aut ventum perstrenuum, niuémq; per se ingentem, & cum procellis tonitrua, coruscationes, ac fulmina, quibusdam

 etiam

etiam tempestatis nomine includi. Sed hîc antiquorum, & eruditorum, non vulgi, placita sequimur.

COELVM.

2 Si Solis radij, obscura se in nube recondent, videbiturq; Sol ipse quasi diuisus: hinc, adfuturę tēpestatis pręsagiū pro partis anni natura seriò colliges.
3 Solis radij nubem liuidam, densam & prægnantem veluti emulgentes, & quodam modo sorbentes, asperam tēpestatem protendunt, pró partis anni, & regionis natura.
4 Si cadentem Solem aut orientem, virescentes nubes, montis instar vtrinque obsidebunt: eritque aspectus eius quasi rubricâ maculatus: tempestatem non procul abesse scies.
5 Plumbeus circulus, vel lutheus, labentē Solem consectans, vētosam pluuiámque aëris tempestatem denotat, in nube, aut nebula visus, vehementē.
6 Luna in exortu suo cornua (vt sic dicā) candirubra crassa & obtusa defracta, grauidáque nube porrigens, breui horrendam tempestatem, pro cœli &

partis anni natura, adfuturā minatur.
7 Si nebula meridiana, obtegentur Lunæ cornua, tempestatem (si quidē Ætas erit) significabunt: si hyems, niuem, vel pluuiam.
8 Luna dum mediam, aut alteram luminis sui partē de fratre fœneratur, valde circulari, & obscura caligine suffusa apparens, tempestatē nuntia vulgò haberi solet.
9 Si Luna tertia tonabit, illo mense tēpestas bis aderit, si quarta (pro partis anni modulo) fulgur, vel grando. Si flammea videbitur, inualescent venti.
10 Luna quarto die recta, Varroni magnam tempestatem in mari præsagit: nisi fortasse coronam circa se habebit, eámque synceram. Nam tum ante plenilunium hyematuram asseuerat.
11 Si stellarum fulgor derepente hebetabitur: neque alicunde nubes, aut caligo obuiabit: nec Luna, vt talia fiant causam dabit: tempestati aduentanti prospicere percommodum erit.

A E R.

12 Candidus in aëre circulus, serò ad occi-

occidentalem Horizontis tractum visus leuem significat opportuno tempore noctis tempestatem.

13 Si manè, seróque nubes ad orientem & occidentem ignescunt, vel Auster Boream accersit: ex frequenti obseruatione, tempestas idoneis locis & temporibus portenditur.

14 Nubes ex purpureo, vel croceo liuentes: grauidæ, densæ, & continuæ, tempestates sonoras parturiunt.

TERRA.

15 Montium, absque manifesta causã auditus sonitus: & nemorum fragor, cœlíque murmur, formidanda tempestatis præludia exhibent.

16 Ignes pallidi, & crepitantes: adhæc circumpositi hinc inde ellychniis fungi idem ferè ob oculos ponunt.

17 Ignis, scintillas (vt sic dicã) expuẽs: & carbo vehementer candens, necnõ fauillã à se subinde excutiẽs: preterea, cinis in foco vltro concrescens, tempestuosus ventos in via esse nunciant.

18 Si ægrè lucebit foculus, & flamma obliquè, flexuoséve agetur: adhæc lu-

cernę, candentes micas elidēt : & ollis ſponte adhærebunt carbones: ventoſę tempeſtatis & nimbiferæ, augurium eſſe reputabis.
19 Grues manè gregatim conuenire ſi videbis: vel vnde migrarunt ilico remigrare hyemalem tempeſtatem proximam eſſe moneberis.
20 Si Anſeres pro cibo & paſtu inuicem pugnantes, in clangorem inſolenter prorumpent: aut Paſſerculus manè præter conſuetudinē immodicè pipillabit, idē quod antea expectabis.
21 Nycticorax in caducis parietibus & antiquis domorū teſtudinibus pręter conſuetudinem (licet cœlum inuitet) deliteſcēs, haud dubia adfuturę tēpeſtatis prognoſtica ob oculos ponit.
22 Cornix præcipiti voce & incondita cornicans, & Paſſer, vel auium quæ minùs albe eſſe conſueuerunt alia quæuis, ſolitum colorem exuere viſa, de priſcorum obſeruationibus tēpeſtatem imminentem indicat.
23 Mergi, maria aut ſtagna fugientes, & noctua ſerenante veſpera, plus

æquo

æquo querula, præterea, Corui vocẽ carptim reforbentes, ventoſum imbrẽ & procelloſum præſagiunt.
24 Corui turmatim ſimul victitantes, vocèſq; multas identidem mutãtes. Inſuper Graculi ab Auſtro grégatim volantes: & Pauonum inſoliti clamores, adfuturã tempeſtatẽ deſignãt.
25 Boues prȩter modum famelicos in dextrum latus iacere ſi videbis, futuræ tempeſtatis ſigna cum prædictis, illos & tueri & augere coniectabis.
26 Boues & Buculæ, ſua ſtabula cũ triſti mugitu repetẽtes: adhȩc, oues matutinã Venerem promiſcuè exercẽtes, tẽpeſtatis ſurgentis teſtimonia habẽt.
27 Lupus inſolito more, ſolus ab alijs frequenter, horrendúmq; vlulans, & ruſticorũ arationes parũ cõſultus, adiens, nihil diuerſum ab alijs ſignificat.
18 Canes pedibus humũ effodiẽtes. & fluuiales Cancri terrã (aquas exoſi) affectantes: Mures itẽ præter ſolitum ſibilantes & gregatim ex ſuis cuniculis exilientes, idem omnino concinũt.
29 Apes inſtante procella, aut tempe

ſtate, apprehenſis pediculo lapillis ſeſe librare, ac grauiores reddere, cum Plinio ſæpenumero obſeruauimus.

30 Apes ſereno cœlo haud ita procul à ſuis apiariis floſculos decerpere ſi videbis, & domi bona parte mellificio incũbere, luctantes cũ pluuiis ventos, tẽpeſtatèſque ſonoras præſagire exiſtimabis.

31 Loligo volitans, & apparens: adhæc, Conchæ ſaxis adhæreſcentes: & Echini rebus ſolidis ſeſe affigentes præterea Ranæ vltra modũ vocales, tempeſtatem venientem augurantur.

32 Sepiarum oſſa in littoribus affatim natantia. Pulmones item marini ſolitò numeroſiores conſpectá, idem quod priùs indicant.

33 Trifolium contra tempeſtatem inhorreſcere, & folijs veluti cõtractis rigere tradiderũt, obſeruarúntq; veteres.

34 Signa tempeſtatis alia (quæ ſanè multa ſunt) de pluuiarũ, ventorum, niuis, tonitruorum, & ſimilium prognoſticis (non neglecta vbiq; cœli, ac temporis, necnon locorum ratione) facilè

leuiterque excipies. Nec te malè habebit, ſi quàm plurimos Aphoriſmos ex ſuperioribus huc transferre, exigēte materia, nihil erubuimus.

COMETARVM, ET AEris ignitarum impreſsionum generatio.

COMMETARVM, traiectionum, & ignitarũ aëris impreſsionũ aliarũ, cauſas, generationem, ſpecies, differentias, magnitudines, numerum, figuras, ſitum & portenta, hîc à me non expectabis: qui illa de proprio opere, duobus libris haud ita pridē, ingenuè (vt omnia) tibi exhibui.

COMETARVM, ET TRAiectionũ, aliarùmque ignitarum aëris impreſsionum ſigna.

SI IN Solis, vel Lunæ eclipſi, & congeſſu altiorum Planetarum, quos ponderoſos nuncupant, adhæc in anni Mathematicè initiantis momento primo Mars ſolus, vel cum eo Mercurius aut vterque ſi-

mul, in idoneo ſigno & loco, prerogatiuarum punctum omne tulerit, Cometã, vel ꝓ illo traiectiones, aut aëris ignita ſpectra alia, opportunis tẽporibus formidabis ac expectabis: quẽadmodũ te nr̃a docebit Cometographia.

2 Arbores, quos Græci καύματα dixerunt conſequentibus annis, aut menſibus aliquos, longè latéque per aërem graſſati, crinitam ſtellam, aut pro ea volantia ſidera, vel ignitum in aëre φάσμα quodpiam, nõ ſecus portendunt, quàm fontiũ & fluuiorũ, ſubitæ inſperatęq; ac diuturnę reſiccationes.

3 Sol toto die ignitus, & dum occidit inſtar ardentium carbonum candens, nec maculam vllam ſereno cœlo preferens, nocturnas traiectiones idoneo tempore promittit.

4 Si videbis primæ claſsis & nomẽclaturæ ſydera (maximè quæ Martiæ ſunt naturæ, & Mercurialis) poſt ſerenos & inſigniter calentes dies aliquot, rutilare, & veluti ignita iaculatione ſcintillare: aut diu rubicũdũm orbiculum circa ſe admittere, idem quod nũc

nuper

nuper dictũ est, in via esse experieris.
5 Signa alia, ne frequenti repetitione molestus habear, de serenitatũ Aphorismis seliges: præsertim sub finem Veris, & Æstate, necnon per Autumni initia: consenciente vbique cœli & soli natura. Reliqua de nostra Cometographia (vt dixi) intellige.

SIGNA FERTILITAtis & sterilitatis.

MAximum & præcipuũ sterilitatis signũ, imò verò causa potiùs, sunt bella, per quorũ deploratã licentiã, & pene dixerim fatalem tyrannidẽ, arméta arationi destinata passim abduci, horrea cõpilari, granaria incẽdi semẽtes euerti, & colonos partim trucidari, captiuos agi, nemo sine largo lacrymarũ imbre, & suorũ iactura irreparabili, nõ audit, non videt nõ experit. Vnde arua, semẽte colono, boue, & equo aratorio spoliata lugere, ociari, ac sterilescere neces. est.
2 Cometes sub ingenti corpore dies multos excãdens, steriles agros, & inania vota coloni, pręter sæuissima alia

portenta (vt alibi docemus) miſeris mortalibus (ni Deus proſpiciat) certò præſagit. Sic traiectiones multæ.
3 Si Ver, & Æſtas humiditate ſuperflua madebunt: aut caligo vel pruina cum Auſtris pluribus diebus (dum omnis parturit arbos, dum omnis floret ager) inualeſcere deprehendetur: fructuum inopiam illo anno, aut ſaltẽ curruptelam validè formidabis.
4 Locuſtarum, Vermium, Erucarũ, & huius picturæ Bacchi Cereriſque prædonum aliorum, ingens idoneis temporibus facta irruptio, vitibus & terrę ſatis, necnon fructibus detrimẽtum portendit.
5 Niues premultæ anno quopiam è cœlo peropportunè deſcendentes, frugum terræ (modò cætera cõſenſerint) copiam (vt grandines inopiam) ſignificãt. Cæterum author eſt Palladius, Ægyptios, hoc modo prouentum futuri cuiuſque ſeminis experiri. Aream breuem loco ſubacto & humido mẽſe Iunio excolunt: & in ea diuiſis ſpaciis omnia frumenti, vel leguminum ſe-

mina dispergunt. Deinde in ortu Caniculæ explorant quæ ab ipso sidere exusta fuerint, & quę illæsa custodiantur: hæc tutò seruant & serunt, illa negligunt. Quia indicium noxæ, aut beneficij, per annum futurum generi vnicuique, sidus aridum præsenti exitio, vel salute præmisit.

6 Sedulus obserua cum se Nux plurima syluis.
Induet in florē, & ramos curuabit olētes.
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur:
Magnáq; cū magno veniet tritura calore
At si luxuria foliorum exuberat Vmbra
Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.

7 Roris & Nebularum inutilem lapsum, pręsertim quando prima fœtuū terræ eduntur rudimenta. Aprili mense & Maio, tam arboribus, quàm cerealibus, & roridas herbas pascentibus animalibus, damnum dare: fidem hactenus fecit experientia, omni testimonio maior.

8 Autumnus, propter arationem siccus, & ob sementem serenus si fuerit:

Adhæc, dũ floret seges, Ver mediocriter calidũ cerealium copiã expectabis.
9 Auium (vt sic dicam) greges relictis insulis & nemoribus, agros, villas vel vrbes frequentare visi: & Graculi turmatim syluis vale dicere itidem conspecti: sterilitatem, ac triste nescio quid antiquis semper indicarunt.
10 Vernos flores & fructus si vberiores quam pro consuetudine & habitiores intueberis: segetibus, autumnalibúsque diuitiis detrimentum (nisi eum errorem Æstas coxerit) testari periculum erit.
11 Si quantum debent anno quopiam adolescent Ferulæ, suáque semina, vt par est, plenissimè alent: fertilitatis testimonium exhibebunt. Quod etiam nostrates Rustici genistæ ascribunt. Nec omittes ex eorundem obseruatione, cum pluuiosa fuerit Hyems, nõ tamen nimium excedens, & Martius siccus, Aprilis pluuiosus, adhæc pars ea Æstatis sicca in qua frumentum floret, fertilitatis signum erit. Præterea, cùm ea pars Autumni serena

rena

rena fuerit & ſicca, in qua ſemina ſpar guntur.

12 Quandocũque animaduertes diuturnum, ſuperfluúmque pluuiarum, gelu, aut grandinis deſcenſum, Verno tempore præſertim.

Dum ſpicata ſeges florẽ molitur amœnũ,
Et noua de grauido palmite gẽma tumet.

Præterea Hyeme, dum adhuc eſt meſsis in herba: annonę iacturam grauiter formidabis. Maximè in hoc terræ tractu, vbi ſiccitates (vt in totum dixerim) & ſementibus, & corporibus meliores ac ſalubriores eſſe deprehenduntur imbribus, præſertim maximis.

13 Si Lentiſcus (vt cùm Arato tradidit Theon) primos ſuos fructus (nam ter in anno parit) legitimos & bene nutritos dederit: ſementem primam, bonam & lætam ſignificabit: ſi ſecundos, ſecundam: tertios, tertiam. Quod flori Scillæ, vel (vt Herbulariorum vulgo placet) Squillæ nonnullis etiam tribuere viſum fuit.

14 Tradit populariũ philoſophia quòd faba-

fabarum fertilitas (fortaſſe quia ab humiditate multa manat) aliis leguminibus, atque adeò tritico, inopiam indicere plurimùm ſolet. Idem ſentiendũ de Quercus & Ilicis fœcunditate.

15 Annonæ prouentui, infauſtorũ aduerſorúmque ſyderum exortus, & occaſus, congreſſus item, & radiationes, vt ſationi, plantationi, germinationi, ac florum productioni plerunq; nocēt

16 Facta vindemia ſi imber poſt occaſum Pleiadum contingent, precox annus erit. Si verò ſimul cum occaſu Pleiadum imber ceciderit, ſerotinus fiet annus, author Didimus in Geoponicis. Cæterùm, Democritus & Apuleius aiunt talem futuram anni tēpeſtatem qualis erit dies Brumæ: & menſes tales, quales erunt duodecim ab illo: vt primus tribuatur Ianuario, alter Februario, & ita de cæteris.

17 Quibus annis in quercuum pomo vermis reperietur, caritatem & ſterilitatem portendi, ruſticorum philoſophia affirmat. Si muſca, bellum adfuturum, Si araneola, peſtem ſignificari.

Cuius

Cuius rei penes experientiã fides erit.
8 In faustorum aduersantiúmque sy
derum in certis signis, exortus & item
occasus, congressus præterea cũ male
ficis Planeis, tã in satione quàm plã-
tatione facti, plerunq; nocuisse fertili-
tati obseruatũ est. Quod ad maturati-
onem ac repositionem etiam apta-
bis. Reliqua fertilitatis & sterilitatis
prognostica tibi expediemus pauló
post, quando de statu anni futuro ver
ba faciemus.

DE NVBIVM SIGNIFI-
catoribus, natura, & prognosti-
cis tempestatum ex solo
colore illarum.

QVAECVNQVE liuida,
fusca, subobscura, & ferrugi-
nea in aëre apparent, siue nu
bes, siue quid aliud fuerit: Sa
turni, vel eius naturæ fixi alicuius sy-
deris, cum Sole aut alio quouis pla-
neta emergentis, labentísve picturam
redolere, & varia (qoud ad cœli com-
motiones attinet) pro locorum, & par
tium anni ratione, necnon Saturni ad
alias

alias stellas configuratione, statu & domicilio, varie portendere nescius non eris. Vere, & Autumno, aëris obscuritatem, nimbos, grandinem, frigus, pruinam & ventos alicubi, alibi tempestates ac niuem. Hyeme, pluuiam, nebulas, niuosos flatus, & gelu. Æstate, imbres, & qnandoque tonitrua. In quibus tamen ventorum, & proximi Lunæ schematismi, necnon eclipsium, & magnarum coniunctionũ, ipsiusque quadrantis anni ratio, cum regionis natura, diligenter habenda erit. Quod vnum sequẽtibus etiã prudẽter accõmodabis, ne sim repetendo molestus.

2 Quæ in aere ex albo pallescunt, aut ex rubro albicãt, siue nubes, siue quid aliud. Iouem parentem, vel eius naturæ fixam stellam exortam, aut ortui matutino vel occasui vespertino in hoc Horizonte admodum proximam agnoscunt. Sincerè albicantia, Venerem aut Lunam. Propterea Vere, & Autumno, pluuiolas per interualla mites: & si incrassescet cœlum, repentinas pariunt: nonnunquam congela-

a (hic præsertim) aquarum granula & niues cum ventis non admodum sibi constantibus, perexiguas. Æstate serenitates: quanquam Iupiter in sua & Martis nube, tonare pronus est. Hyeme verò, pluuias, frigora, niues, & quandoque grandinem, inuitante anni & cœli tempestate, plurimùm effundunt.

3 Quæ rubra, fulua, flaua, vel ex his mixta apparent, Martiam, & Solarem præfecturam, vel fixarum sub his militantium vires, per omnia æmulari censentur. Vnde Vere, & Autumno, ventos & (si grauidam nubem secum habuerint) pluuias cum tonitru subitas plerunque minantur. Æstate, intolerabilem æstum, & (modò cætera consenserint) cum ventis & fulgetris tonitrua longè latèque percrepantia. Hyeme pluuias nunc ventosas, nunc niuosas, sed tamen mitiori frigore stipatas.

4 Quæ varium habent colorem & imagines in aëre appingunt diuersas, Mercurium parẽtem, vel eius sobolis

fixam

fixam stellam vnam aut plures agnoscere ferunt. Quapropter hyeme, Vere Autumno, & Æstate aërem nunc in has, modò in illas commotiones (pro varia cœli, soli, & colorum natura) variè pulsant ac commouent. Quanquã ipsa picturatarum nubium variegata diuersitas, planetarum syderúmque aliorum mutua radiatione aërem vaporosum confusè & permistim agitãtium vires testari satis potest. Cuius artifices primarios, de vincẽte colore ex iã dictis elicere, facilè admodũ erit.

PROGNOSTICVM PERpetuum de statu cuiuslibet anni, ex solis Ianuarij Calendis: authore Leopoldo Austriaco rerum cœli interprete docto & prisco.

SI CALENDÆ Ianuarij, aut, si mauis, primus dies, fuerint die Solis, vel Dominico, hyems erit bona, sed flatulenta, Ver humidum, Æstas & Autumnus ventosi: annona tolerabilis: pecora & mel, vindemia, legumina & fructus hor-

ortorum periclitabuntur: morientur
iuuenes : inter reges erunt diſcordiæ,
atque latrocinia exercebuntur varia.

Si die Lunæ, Hyems communiter
ē habebit, Ver temperatum erit, æſtas
calida: diluuia alicubi erunt, & infirmi
tates, ex quibus morientur viles ac po
pulares : ſurgent inter mulieres bella,
magnarum mutationum initia: luge-
bũt matronæ: interibunt Reges: ferro
magna fiet ſtrages: glaciale gelu mul-
tũ erit, vindemia pauca, & apũ mors.

3 Si die Martis, Hyems longa erit,
nix multa, & pluuia diluuium minan-
tes. Ver, & Æſtas humiditate abunda-
bunt: ſiccefcet Autumnus, carum erit
frumentum, cum pecorum, repentino
interitu: mel erit multum, ligna cara,
incendia formidabuntur: peſtis vige-
bit, legumina erunt bona: fructus ar-
borum peribunt, oleum abundabit,
parca erit vindemia : moriēturque cũ
regibus ac potentibus mulieres.

4 Si die Mercurij, annona vilis erit:
Vindemia fœcunda: Hyems calida ac
proſpera. Ver humidum & morbo-
ſum

ſum Autumnus temperatus, pericula à ferro, olei copia, vētris & præcordiorum ſolutiones, moriētur iuuenes ac mulieres: in locis diuerſis erit fames, cum rumorū multiplici diſperſione.
5 Si die Iouis, Hyems tempeſtiua erit: Ver bonum. Æſtas mala, Autumnus ſiccus: frumentum parcum, vindemia multa, lippitudo oculorum, infantes morientur, mouebuntur bella ac militum ſeditiones, terræ motus formidabuntur, impendebunt à Regibus pericula rumores magni apud principes ſpargentur, eritq́ oleum multum.
6 Si die Veneris, Hyems erit importuna & ſicca, frugum copia, oculorum dolores, infantes morientur, & grando multa cadet.
7 Si die Saturni, aut Sabbati, Hyems erit ventoſa, Ver vagum, Æſtas varia, & aſsiduis tempeſtatibus agitata. Autumnus ſiccus, annona commoda porcorum interitus, ligna cara: tertianæ multæ, cum variis hominum languoribus: ſenes morientur: incendia erunt multa: fœnum multum: fructus

pauci,

pauci, & hominum interitus.
3 Nox Calendarum Ianuarij serena, hoc est, sine vento & pluuia, annum bonum significat. Si cum vento Orientali, morientur pecora: cum occidẽtali, Reges, cũ meridionali erit mors multorũ, cum septentrionali sterilitas.

PROGNOSTICA DE futuro anni statu, ex Caniculæ exortu desumpta ex Georgicis Diophanis.

CANICVLÆ exortus fit hoc tempore in Gallicano Horizonte nostro, circa 16. diem Iulij. Obseruandum est autẽ, in quo signo Luna fuerit exoriente illa.
1 In Ariete Luna degente si Canicula exorietur, animalium gregatim pascentium perniciem portendet, cũ pluuiarum prouentu, frumenti copia exigua, & olei fertilitate.
2 In Tauro, pluuias multas, grandines, rubiginem, & plagas varias.
3 In Geminis, frumenti & vini fertilitatem, omniúmque fructuum: sed pesti-

peſtilens erit annus, rex peribit, & exercituum erunt motiones.
4 In Cancro ſiccitatem, cum frumẽti penuria maxima.
5 In Leone, frumenti, vini ac olei vbertatem, & rerum aliarum pretium vile, ſed orietur tumultus & cædes: cõtingent incurſus cum terræ motu & inundationibus.
6 In Virgine, imbrium multitudinẽ, & magnam rerum fertilitatem: quadrupedum erit vilitas, ſed timendi erunt mulierum aborſus.
7 In Libra, regis motum, quadrupedum vilitatem, populares tumultus, olei penuriam, frumẽti corruptionem vini copiam, & lignoſorum fructuum abundantiam.
8 In Scorpio, ſacerdotum tumultum apum perniciem, & peſtilentem aëris conſtitutionem.
9 In Sagittario, pluuioſum annum ſed fertilem, frumenti abundantiam, inter homines lætitiam, & pecorum interitum, cum volucrũ multitudine.
10 In Capricorno, motum exercituũ, pluuia-

pluuiarum copiam, frumenti, vini & olei fertilitatem, omniúmque rerum pretium optimum.

11 In Aquario, Regis mortem, frumenti corruptioné, locustarum abundantiam, & pluuiarum paucitatem cũ pestilentia.

12 In Piscibus, pluuias multas, volucrum interitum, cum vini & frumenti copia satis larga & laudabili: hominũ tamen corpora morbi inuadent.

Hactenus Diophanes. Restat paucis ostendere, quomodo prisci de sterilitate & fertilitate, seu de statu anni, quod ad annonã attinet, olim præsagiebant ex certorum syderum exortu & occasu: quibus positis manũ (quod dicunt) de tabula illico tollã: modò te istorũ laborum meorũ æquum censorem & candidũ fautorem inuenero.

SI à die septimo Calend. Maij exortu Hyadum (vbi Varroni & Plinio Rubigalia celebrantur) ad quartum Calend. eiusdem, Canis occasu (vti Floralia) pleniluniũ olim incidebat noctibus serenis: & omni vēto quiescēte,

quo tempore ros affatim ſolet cadere fruges & omnia quæ florebant lædi certa experientia certum erat. Si à ſeptimo die Iduum Maij, ad quatriduũ póſt (exortu Vergiliarum, & Arcturi occaſu, vbi vinalia Varroni) idem cõtingebat, periculum vitibus ac oleis imminebat. Quod ad quartum Nonas Iunij, Aquilæ exortu, & decimum ſextum Calend. Aug. Caniculæ emerſu, etiam adaptabāt. Hinc fortaſſe dies illi & his proximi, Diuis Marco, Georgio, & Inuentioni crucis ſacri, ſuperſtitioſa quadam gentilitate etiam hodie popularibus timentur. Sed ea de re abũde philoſophabimur in noſtra Aſtrophania, quando hoſce ſyderum & aliorũ exortus atq; occaſus ad noſtra tempora, Gallicanúmq; Horizontem reuocabimus, & conciliabimus.

HÆc, vt multa alia, tametſi ad Ephemerides aëris parũ pertinere videbuntur: nihilominus hîc aſſuere conſilium fuit: amicis idipſum quotidiano propé conuiuio à me efflagitātibus ac poſtulantibus. Quæ quantũ

veritati subscribant tibi & tẽpori (cuius filia est veritas) examinandũ, probandúmq; relinquo. Ridebũt ridiculi modestè ferent modesti, quibus nostram operam libenter impertimus. Vtut se res habebit, reijciendum nunquam censui, quod sedula antiquitas, nobis quasi per manus tradidit: quin potius candidè excipiendum, ac circumspectè interpretãdum semper duxi: nepotibúsque nostris ceu hereditarium legandum: vt & posteris suis idẽ facere domestico exẽplo velint, & ex animo cõtendant. Hoc priscorum fuit cõsilium, hęc summa erga nos diligẽtia: qui & si fortasse parum eruditi cẽsebuntur, nõ minus tamen ingeniosos fuisse constat (de rusticis loquor) in observando & adnotando, quàm in ratiocinando, & philosophando summè acutos plerósque, Sed de rustica & populari Astrologia hactenus.

FINIS QVINQVE CLASsium Ephemeridum aëris perpetuarum, Antonij Mizaldi Monluciani.

PET. BONNErius Bellouacensis Medicus, ad Anto. Mizaldum amicum optimum & syncærum.

MIZALDE laus gentis tuæ
Largitor ille omnis boni
Te aspexit: inter gratias,
Intérque mille munera,
Secum volare protinus,
Te in alta iussit sydera:
Vnde ἔνθεν quid nescio
Quod scripta spirant hîc tua
Hausti: reperto transitu
Linquis perennem posteris
Famam potentis ingeni
Sic perge: erit cœlum tibi
Merces, beatorum locus:
MIZALDE laus gentis tuæ

Ex πόντου κλιθ.

LIBRI AB ANTONIO MIZALDO Monluciano hactenus editi, & elaborati.


PHÆNOMENA, siue tempestatum signa quatuor Aphorismorum sectiunculis dilucidè concinnata. Lutetiæ excucedat Reginaldus Calderius. 1546.

Idem liber Gallicè conuersus, facto nomine, Lmiroir du temps &c. Lutetiæ apud eundem. 1547.

Meteorologia, siue rerum aëriarũ Commentariolus &c, Lutetiæ, apud eundem. 1547

Idem Gallicę conuersus, facto nomine, Le miroir de Lair &c. Lutetiæ apud eundem, 1548.

Cometographia, Crinitarum stellarum, quas mundus nunquam impune vidit, naturam & portenta libris duobus, philosophicæ æquè ac astronomi-

nomicæ expediens. Cum Catalogo amplissimo visorum Cometarum & ignitorum aëris spectrorum ad annum vsque 1540. adiectis portentis quæ significatierunt. Lutetiæ excudebat Christianus VVechelus. 1549.

Æsculapij & Vraniæ medicum simul & astronomicum ex colloquio coniugium: harmoniam microcosmicam, macrocosmo, siue humani corporis cum cœlo, paucis figurans, & perspicuè demonstrans. Lugduni excudebat Ioan. Tornæsius. 1550.

Planeto ogia, rebus astronomicis, medicis & Philosophicis eruditè referta, ex qua cœlestium corporum cũ humanis societas & aptatio facilè demonstratur. Lugduni apud Matthiam Bonhome. 1551.

De mundi sphæra, seu Cosmographia, libri tres, figuris & demonstrationibus illustrati Lutetiæ apud Gulielmum Cauellat. 1552.

Zodiacus, siue duodecim signorum cœli Hortulus, libris tribus concinnatus. Lut. apud Carolã Guillard. 1553.

Planetæ, siue Planetarum Collegium, Lutetiæ ibidem, & anno eodem.

Asterismi, siue stellatarũ cœli imaginum Officina: cum Encomio docti Astronomi asclepiadeo versu elaborato: ibidem & anno eodem.

Hi quatuor libelli, versibus quinquies mille, plus minus, res cœli complectentes, quo scripsimus ordine, simul sunt colligandi & emendi: nam fructum cum voluptate permaximũ sic dabunt.

Catalogi septem sympathiæ & antipathię seu cõcordię & discordię rerũ aliquot mũdi: quarũ causas natura potiùs nos admirari, quã scire voluit. Lutetiæ apud Iacobum Keruer. 1554.

Ephemerides aëris perpetuæ, seu popularis & rustica tẽpestatum Astrologia: vbiq; terrarum certa & vera.

Prologomena in easdẽ, vbi de aëria brutorũ pręsagitione, & seria methodo prædicendarũ omnium auræ cõmotionum à solis Phænomenis, seu apparentibus signis exteriùs. Lutetiæ apud Iacob. Keruer. 1554.

Libri

LIBRI QVOS IDEM MIzaldus partim domi paratos habet, partim hodie perficit, ac elaborat.

MIRACVLORVM naturæ Commentarioli octo: in quibus de occultis rerum proprietatibus, earundémq; sympathia & antipathia, ex priscorum & recentium Philosophorum, Medicorum ac Astrologorum sententia, paucis multa discutiuntur.

Rerum agri Secreta, pauperibus æquè ac diuitibus cùm iucunda, tum vtilia.

Lunæ & Oceani Concordia: æstuũ maris in affluxu & effluxu, causas, tẽpora & alia pleraque, Philosophicè iuxtà ac Astronomicè demonstrans.

Astronophania, inerrantiũ aliquot stellarum insigniores cũ Sole exortus, & item occasus, certis mensium anni diebus, facilè & perspicuè expediens: Cui accedunt prolegomena, & annotationes non spernendæ.

Astro-

Astrologica problemata & Commentariolus in duos priores libros Apotelesmatωn Claudij Ptolemæi: in quo astronomica multa, adhęc physica & Geographica.

Conciliatio Medicorum & Astrologorum in controuersia dierum decretoriorũ. Vbi de ratione, modo & figura τοῦ ἑκκαιδεκαέδρου hoc est decretorij morborũ sexdecanguli, in Aphorismis Claud. Ptolemæi citati & scripti.

Annotationes in tertium Librum Claudij Galeni de diebus decretoriis.

Seleniaticum, seu medicum de Luna opusculum, centum morborum & remediorũ Aphorismis cõcinnatum.


Scholia in Librum Claudij Galeni de infirmorum decubitu ex astrologica scientia, Cui Hippocratis libellus alter eiusdem planè methodi socius additur: & tertius insuper Mercurij Trismegisti ijsdem adtexitur: qui & huic & illi viam aperuit. Ex quibus arcana mira & summè diuina, cùm curationum, tum prognosticorum, rerũ cœli ac medicinæ peritis recluduntur, & in lu-

lucem sanè quàm gratam veniunt.

Aphorismorum Hippocratis sectiones septem, in totidem classes iuxta communes medicinæ locos digestæ, & annotatiunculis breuibus ac dilucidis illustratæ.

IMPRESSVM FVIT
presens opusculum accurata opera, Antuerpiæ, quarto Idus Ianuarij. 1555.

Ars mon[illegible]aldi.
artificiosa methodus
componendo[illegible]
[illegible]


ESTOTE PRVDENT. VT
SERPENT. ET SIMPLICES
SICVT CO
LVMBÆ

Sortitur dominum qui scribet
ore suum.

1445 die 6 iunii horas
matutina, solis eclipsis
tanta ut stelle d[illegible] luz
nocte conspecte sunt.

